Annus XVI. Februarius 1902. N. 2.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE GENUFLEXIONIBUS SACRORUM MINISTRORUM AD MISSAM ET VESPERAS

(Decr. 4027: 1741: 1754).

Henricus clericus, sacris caeremoniis totus addictus, Missae Vesperisque solemnioribus pluries assistit, et nota dignam saepe admiratur difformitatem quandam in sacrorum Ministrorum genuflexionibus, quam explicare non valet. In aliquibus enim Ecclesiis, ad solemniorem Missam, Ministros sacros genuflectentes conspicit postquam, peracta Confessione, ad Altare conscenderint, nec non ad ipsum Altare genuflectentes post intonationem hymni angelici et Symboli, imo etiam in fine Praefationis, antequam ad Altare ascendant. In aliquibus vero Ecclesiis, nunc unam, nunc alteram ex dictis genuflexionibus sacros Ministros omittentes vidit: in aliis autem animadvertit, nullam ex dictis genuflexionibus a sacris Ministris fieri. Similiter ad solemniores Vesperas Ministri pluviale induti, quotiescumque Presbyter officium agens inclinationem facit Cruci, genuflectunt in aliquibus Ecclesiis, in

aliis vero, dum officium agens Cruci inclinat caput, Ministri haud genuflectunt, sed tantum, uti Presbyter, caput inclinant. Huiusce difformitatis a Friderico Sacerdote ac praeceptore suo quaerens causam, demiratus audit, unamquamque Ecclesiam suas traditiones sequi, quae Rubricis non opponuntur. Fridericus tamen ne sibi quidem de responso persuasus, a sodali suo, Rubricarum satis gnaro, haec postea *inquirit:*

1. An genuflexionum praxis semper extiterit ab ipso Apostolorum aevo in Latina Ecclesia in sacris conventibus, quidque de Graeca dicendum veniat?

2. Quid Rubricae, cum Decretis collatae, praescribant circa genuflexiones, de quibus in casu, ad solemniorem Missam? Quidque iudicandum pariter, Rubricis Decretisque collatis, de genuflexionibus aut inclinationibus ad Vesperas?

3. Quomodo Henricus instituendus?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Frau, **habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 27 Novembris 1901; acta epitome per R.mum Dom.** HILARIUM PASSERINI **Antistitem Urbanum.**

I. An genuflexionum praxis semper extiterit ab ipso Apostolorum aevo in latina Ecclesia in sacris conventibus, quidque de graeca dicendum veniat?

Doctus quidam et pius italus auctor inquit, primum hominem, eo ipso in actu, quo, aquilae instar, totam uno intuitu dominatus est creationem, oculos ad coelum levasse, et profunde in anima vibrare sui plasmatis humilitatem per-

sensisse, ac genibus in terra provolutum, maiestatem Infiniti adorasse. Actus iste genuflectendi longum sane psychologicum studium mereretur, traducit quippe ipse, exterius, intimum cordis sensum, ac nobiliorem universi creaturam fere sub inferioribus deprimit, et quasi ad nihilum redigens characterem regis totius creationis, ut eo ipso solemnius ad Deum auctorem grati animi amorisque obsequens significatio exsiliat. Nos tamen hic nostras quibusdam limitibus coarctantes inquisitiones, historice tantum de actu in seipso spectato disseremus, pressiusque quaesitui inhaerendo, genuflexionem considerabimus, quatenus pars est totius actuum illorum apparatus, qui christianum cultum distinguunt. Ast, iam ab ipso hoc initio, praemittere necessarium est bifariam considerari posse genuflexionis actum: aut nempe accipitur tamquam status seu modus se habendi fidelis orantis, aut tamquam signum transiens reverentiae et adorationis, quod ab eo rebus sanctis tribuitur. Videbimus ulterius, hunc nonnisi alterius quasi derivationem et fractionem esse; at hic notandum, quod dum pro genuflexione, iuxta significationem, qua hodie accipitur, deficiunt documenta, quibus statui posset eius antiquitas; quod statum permanentis genuflexionis respicit, abundant ac eiusmodi sunt valoris, ut nullimode inficiari valeat, hunc pium morem ad ipsa Christiani aevi primordia reducendum esse, ad tempora scilicet apostolica.

Quin omnium veterum populorum historiam revolvamus, qua ceterum frequenter et pracise eiusmodi cultus actus, paganis divinitatibus tributi perhibentur, satis compertum est, perplures hebraici cultus ritus ad nostrum transiisse. Sancti namque Apostoli, dum novam legem praedicantes, quae in Synagogis minus aptum invenirent ad novae formam religionis, eliminabant, plura tamen aliquatenus etiam opportune immutata retinebant. Nunc autem nullimode dubitandum, genuflexionem in precibus fundendis,

communem apud hebraeos fuisse, praecipue vero in templo. Satis esset exempla citare Salomonis, de quo legimus, in dedicatione templi: " Utrumque genu in terram fixerat, et manus expanderat in coelum *(III. Reg. 8, 54)*. In simili alia caeremonia, Ezechias iussu Levitae, flexis genibus laudaverunt atque adoraverunt Deum *(II. Paralip. XXIX, 30)*. Item Princeps quidam, militiarum, de quo IV Reg. I, 13, *curravit genua contra Eliam*. Saepe etiam solitum fuit de genu salutare viros nobilitate praecellentes. Iussit Pharao, clamante praecone, ut *omnes*, Iosepho transeunte, *coram eo genuflecterent*. Ideoque nil mirum, si, prout publicanus in limine templi suam ante Deum humilitatem ostendebat, ita pariter sese gerebant Apostoli, fideles et ipse Christus. Lucae XXII legimus, in Gethsemani horto Nazarenum, *positis genibus*, orasse. Ab aliis quoque Evangelii testimoniis deduci datur, hunc fuisse communiorem orationis statum. Nec ullam passum modificationem, saltem quoad substantiam, in christiani aevi primordiis S. Stephanus *(Act. VII, 60)* veniam persecutoribus implorat *positis genibus:* S. Petrus *(ib. IX) ponens genua oravit*, antequam Tabitham resuscitaret: S. Paulus *(ib. XX) a Mileto mittens Ephesum.... positis genibus suis oravit*. Dici autem potest, Apostolum Paulum, verbo et exemplo, prae ceteris hanc commendare praxim. Ad Ephesios scribens *(c. III, 14)*, ait: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi*.

In Epistola ad Philippenses *(c. II, 10)*: *Ut in nomine Iesu omne genuflectatur*. Ad Hebraeos *(c. XII, 12)*: *Propter quod solutas manus et demissa genua erigite*. Merito Baronius opinatur (Annal. I) ad illum statum (anno circiter 58 p. Cler. n.) quandam dispositionem apostolicam esse referendum quod genuflexiones attinet. Eousque namque vidimus, earum usum nulla lege sancitum, nulla ratione determinatum, dum postea tempus modusque stando aut flexo

genu orandi distinctum est. Fidem facit Irenaeus, Polycarpi, Evangelistae Ioannis discipuli, auditor, apostolicam esse institutionem hanc. Tertullianus *(c. III, De Corona militis)* testatur: " Die dominico nefas ducimus de geniculis adorare; eadem immunitate a die Paschae usque in Pentecosten gaudemus. „ Cum Tertulliano Epiphanius, Hieronymus, Basilius, Iustinus perfecte conveniunt.

Cum vero quidam ortum habuissent hac de re abusus, in hanc praescriptionem universalem ob quamplures genua Dominicis diebus flectentes prout et diebus Pentecostes, Concilium Nicaenum *(can. 20)* praecepit: " Ut omnia similiter in omni Parochia serventur, visum est S. Synodo, ut stantes Deo orationes effundant. „ Praestat hic rationem inquirere huius dispositionis. Clare haec iudicatur ab auctore quaestionum ad Orthodoxos, quae S. Iustino tribuuntur. Ad propositam quaestionem: " Si genuum inclinatio in precacationibus magis peccatores Deo commendat, quam si stantes orent, quare aliquando ita agunt „; id respondet: " Quia utrimque nos oportet iugem obtinere memoriam, et ipsius per peccatum lapsus nostri, et gratiae Christi, per quam a peccato resurreximus, eapropter genuum per sex dies inclinatio symbolum et nota est lapsus per peccata nostra. A temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initium, prout ait beatus Irenaeus Martyr et E.pus Lugdunensis in sermone de Pentecoste, in quo genua non inflectimus „. Haec item fuit saepe mens SS. Patrum. S. Basilius Magnus (in libro *de Spiritu Sancto, c. 27)* dicit: " Quoties genua flectimus et rursus erigimur, ipso facto ostendimus quod ab peccatum in terra delapsi sumus, et per humanitatem eius qui creavit nos, in coelum revocati sumus. Hinc continua pastorum instantia in hoc actu commendando, ut inter fedeles tamquam signum peculiaris devotionis retineretur, ita ut in primitiva Liturgia locum occupet praecipuum. Videmus revera omnes antiquos libros litur-

gicos praescribere, ante Collectas, praemonente Diacono, fideles genuflectere ad orandum usque dum Sacerdos, quasi eorum preces colligens, non concineret collectas. Caesarius Arelatensis, ita huius ritus meminit *(hom. 34)*: " Rogo vos et admoneo, fratres charissimi, ut quotiescumque iuxta altare a clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solum corda sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter sicut oportet et diligenter attendo, Diacono clamante, flectamus genua, maximam partem populi veluti columnas erectas stare conspicio, quod christianis omnino nec licet nec expedit. „ Et in altero sermone: " Supplico, fratres charissimi, et paterna pietate commoneo, ut quotiescumque oratio indicitur, qui forte pro aliqua infirmitate non potest genua flectere et dorsum incurvare, vel cervicem humiliare non differat „. Similibus verbis se exprimunt Jesse Ambiatense in Epistola *de Baptismo*, Codex Rhemensis et Tilianus, a Menard relati, idemque Ordo Romanus, qui peculiariter in Officio Parasceves notat populum stare *flexis genibus*.

Ad horum confirmationem referre iuverit, quod habet Prudentius in hymno matutino: *Te Christe solum novimus — te mente pura et simplici — te voce, te cantu pio — rogare curvato genu — flendo et canendo discimus*. Et Tertullianus, de Legione fulminea Marci Aurelii loquens, ait, christianos, qui eam efformabant, cum ex ardentissima siti ad extrema divenissent, dum in Marcomannos pugnabant, genua flectendo a Domino obtinuisse imploratum auxilium. In tertio Columnae Antoninae sculpto opere phrygio christiani repraesentantur flexo genu orantes. Sit pro epilogo haec observatio, quam reperimus in Dictionario theologiae Bergierii: nonnulli sancti viri tam usum genuflectendi provexerunt, ut pavimentum in loco orationis consumpserint. Et ex Eusebio et Hieronymo novimus, S. Ia-

cobum minorem, ex assiduitate genuflexus manendi, genua cameli instar, callo obducta habuisse.

Probatum igitur manet, iam a prioribus Ecclesiae Christianae temporibus, genuflexionem communiter usitatam fuisse. Quoad posteriora vero, talem consuetudinem nunquam defecisse certiores nos reddunt, praeterquam plura catholicorum ac heterodoxorum scriptorum testimonia, ipsum factum antiquioris et adhuc vigentis intimationis: *Flectamus genua*. Saeculo VIII quaedam orta est secta Agoniclitarum vocata, qui asserebant, superstitionem sapere genibus flexis orare: Aethiopes et Abyssini ne genua flectant liturgiae tempore cavent, antiquum putantes usum servare: Russi vero actum omnino indecentem illum iudicant. Haec dum falsam ostendunt eorum opinionem, qui veram eiusmodi actus significationem intelligere nescierunt, novum praestant argumentum ut dignoscamus, quam obsequentes veris Christifidelibus in morem venerandae originis ipsi extiterint, qui ab ea, ne uno quidem apice, recedere voluerunt.

Remanet nunc, ut de logica historicaque evolutione loquamur genuflexionis, quemadmodum scilicet, ab actu orationis permanente, simplex effluxerit et transitoria reverentiae significatio, ac per consequens serius introducta distinctio inter simplicem genuflexionem et duplicem. Quoad primum, nulla haesitatione asserere nobis liceat, rationabiliter prorsus factum esse, ut quod adorationem significare aptum erat, etiam ad reverentiam et obsequium demonstrandum assumeretur; utrumque enim, intime connexum esse patet, idemque quodammodo concipitur exterius similiter manifestari. Sed nullis extantibus documentis, ad historicum momentum statuendum distinctionis praedictae inter simplicem genuflexionem et duplicem, adnotasse satis erit ecclesiasticam disciplinam, quod Liturgiam attinet, sensim per varias immutationes magis magisque perfectam evasisse, multarumque dispositionum origines mansisse obscuras, ita ut discutentium observa-

tiones effigiant. Videtur tamen valde probabilis hypothesis a nonnullis excogitata, talem distinctionem tunc exortam cum, adoratione SSmi Sacramenti undequaque diffusa, ut speciale in illud reverentiae signum, praeceptam fuisse duplicem genuflexionem, relicta simplici ut venerationis signum in ceteras res sanctas; invenimus revera iam usque ab eo tempore explicitam praescriptionem " *genuflexio utroque genu* „ et similes.

Quid de Ecclesia graeca dicendum veniat. Orientalis Ecclesia, in genere, genuflexiones nullas admittit, quibusdam rationibus traditionis innixa quibus nunquam derogavit. Verum quidem est, Graecos, uti ex eorum *Euchologio* a Goar edito constat, genua flectere in *Missa praesanctificatorum*, ad incensationem, prout et ad *Vesperas*, quae *Missam Pentecostes* sequuntur, in quibus diaconus aperte monet: *Capita et genua flectentes oremus*. At si bene his actibus attendatur, non tam genuflexiones esse, quam prostrationes dicerentur, quod et aliis in casibus comprobatur; ipsi enimvero postquam genua demiserint, caput, toto corpore inclinato, versus terram demittunt, unoque actu se erigunt. Unde dicendum graecam Ecclesiam proprie dictam genuflexionem non agnoscere.

II. Quid Rubricae cum Decretis collatae praescribant circa genuflexiones, de quibus in casu, ad solemniorem Missam? Quidque iudicandum pariter Rubricis Decretisque collatis, de genuflexionibus aut inclinationibus ad Vesperas?

Seiunctim quaesitum in suis duabus partibus considerantes, praemittimus hanc generalem considerationem quoad Rubricas. Hae in sua forma concisa, ordinarie ad determinanda non descendunt minutiora; id tamen non impedit quominus illae nullimode essentialia omittant, et cum de genuflexionibus agitur, adamussim has praescripserunt quando se praebuit occasio. Nunc vero quod Missam respicit, Rubricae Missalis de genuflexionibus ne verbum quidem habent

post Confessionem, ubi dicunt simpliciter: " Sacerdos facta Confessione ascendit cum ministris ad medium altaris „; nec post intonationem *Gloria*, ubi habetur: " Cum vero intonat hymnum *Gloria in excelsis Deo*, Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis: postea ascendunt ad altare, et hinc inde, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur. „ Nec tandem de genuflexionibus loquuntur post Praefationem, ubi pariter dicitur: " Diaconus et Subdiaconus, paulo ante quam dicatur *Sanctus*, accedunt ad Altare, ubi cum Celebrante hinc inde dicunt *Sanctus*. „ Silentium Rubricarum, hisce in casibus, non potest interpretari tamquam omissio, namque in aliis casibus, quando nempe genuflexio requiritur, Rubricae explicite praescribunt. Ita n. 7, Tit. 4, praecipere non omittunt Ministros, " cum transeunt ante Crucem „ semper genuflectere; et praescribunt similiter n. 4, Tit. 5; n. 9, Tit. 7, et in pluribus aliis locis, Tit. 8, 9, 10. Si igitur Rubricae iis in rerum adiunctis, quae considerantur in casu, nullimode loquuntur de genuflexionibus, id significat has locum non habere. Hoc porro in sensu se exprimunt et Decreta, inter quae n. **4027** notatum, nullam relinquit dubitandi rationem: illud igitur in sua integritate referimus. Ad dubium: " Quaenam a Diacono et Subdiacono tenendae sint normae pro genuflexionibus peragendis in altari: 1° Dum ab uno latere in aliud transeunt; 2° Dum ab uno latere pergunt in medium; 3° Dum e medio ascendunt ad altare aut vice versa? „ Et S. Cong.tio die 9 Iunii 1899, respondit: " Ad 1^{um}: Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non extante super altari, semper genuflectunt, et tantum in medio: Sacramento vero extante super altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere. Ad 2^{um} et 3^{um}: Diaconus et Subdiaconus, Sacramento extante super altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt: excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad elevatio-

nem, in Missa solemni de requie, genuflectere debet in medio tantum: Sacramento non extante super altari, numquam genuflectunt, praeter Subdiaconum, quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium altaris, et facta genuflexione, ibi stat. „

Decretum ad casum nostrum applicando, et praecise ad tertium quaesitum nempe, *Dum e medio ascendunt ad Altare*, tres genuflexiones non admittuntur, nisi occasione qua cantetur Missa coram Sanctissimo, et hoc in casu, exequi unicam deberent antequam ascendatur ad Altare, non vero postquam ibi pervenerint. Conveniunt cum Decreto citato omnes expositores Liturgiae sacrarumque caeremoniarum, ideoque non est dubium quin hae genuflexiones contradicant Rubricis, Decretis et consuetudini, ac proinde debeant convenienter omitti.

Hoc quod attinet genuflexiones in Missa, in casibus consideratis. Quod vero Vesperas respicit, an scilicet duo assistentes debeant genuflectere quoties Sacerdos inclinatur ad Crucem, Rubricis inspectis et Decretis, pariter respondere debemus negative. De Herdt in suo opere: *Expositio practica Caeremonialis Episcoporum* scribit ad rem: " Assistentes..... ad altare stantes ante infimum gradum habentes Celebrantem in medio, detectis capitibus, eamdem cum Celebrante faciunt reverentiam (quod et observant quotiescumque cum Celebrante procedunt, nam alias altari genuflectere tenentur, scilicet altari profunde se inclinant.„ Et in incensationis actu: " Cum transeunt ante crucem se cum Celebrante profunde inclinant „. Idem faciunt antequam ab altari proficiscantur. Ut patet, hic non est sermo de genuflexionibus, sed de inclinationibus profundis tantum Hoc ex Ceremoniali Episcoporum. Sed et S. Rituum Congregationis Decreta sic se exprimunt: in Decreto n. 1741, sequentia proponit dubia: 1^{um} " An celebrante pontificaliter in Vesperis Episcopo in diebus solemnioribus, teneantur Beneficiati ministrantes genuflectere „ quoties Episcopus salutat altare sive crucem, videlicet plu-

vialibus parati, induti cottis sive cappis, in accessu ad altare, in recessu ab eodem, et respective in thurificatione, et quoties Episcopus salutat crucem, et dum in processione salutantur altaria? 2um An celebrante cum pluviali Canonico in Vesperis sive Laudibus, quoties celebrans salutat altaria sive Crucem, ac etiam in thurificatione, Beneficiati teneantur genuflectere? Et quid respectu Beneficiatorum, qui cum cappis sive cottis post binos Canonicos incedunt in Processione? Et praefata S Congregatio, die 2 Decembris 1684, respondit: " Teneri Beneficiatos ad genuflectendum celebrante Episcopo vel Canonico, tum paratos quam non paratos ... Haec dispositio pro Basilica S. Mariae Maioris emissa, alio Decreto, anni 1685, d. sub n. 1754, extendebatur ad Basilicam S. Ioannis in Laterano. Primo intuitu, haec duo Decreta data videntur ad abrogandam praxim a Caeremoniali Episcoporum statutam; considerandum est tamen hic agi de dispositionibus specialibus, quae ex sua natura extendi nequeunt de casu ad casum, nec de loco ad locum. Imo, ut fert antiquum aphorisma, si exceptio confirmat regulam, haec Decreta, quae ob suum tenorem et ob modum derogationem specialem manifestant, confirmare apta sunt legem generalem, quae vult, ut in casibus expositis reverentiae seu inclinationes non genuflexiones peragi debeant.

III. Quomodo Henricus instituendus? Ex hucusque dictis apparet, quaenam sint normae Henrico assignandae. Si vere cupit sese sapientissimis Ecclesiae praescriptionibus conformare, utpote quae, ab suum specialem characterem, et ob sanctissimum finem uniformitatis in sacris functionibus assequendae, omnes obligant, ratione disciplinae, nihil aliud restat, ut certior efficiatur de singulis, quae hac de re statuta inveniuntur. Ita edocebitur, genuflexionem in casibus a se notatis non praecipi, ac proinde locum non habere. Quid tamen praeceptori Friderico respondebit, qui ad notatas differentias cohonestandas traditionem invocat et peculiares

consuetudines? Inquirendum, an eiusmodi consuetudines tales sint, quae communi legi derogare valeant, aut sin minus permitti vel saltem tolerari possint. Notandum est imprimis, plura quae pacifice localis consuetudinis honesto titulo adornantur, haud secus esse habenda ac spirituum singularitati studentium deliramenta. Ideoque, dum valde optandum est, nostros ritus et caeremonias, Rubricarum et Decretorum legi conformari, ut illa exinde oriatur exterius harmonia, illius symbolum unici cultus ac significatio, quem in corde sentimus, unicae illius fidei, quae mentes erigit; ex alia parte nullimode damnare intendimus consuetudines illas, quae characteribus praeditae aptis ad manifestandum morem ratiobiliter inductum, et ipsae notam aliquatenus exhibent legum peculiarium. Genuflexio Ministrorum, in uno saltem ex casibus praefatis, videlicet in Vesperis, pluribus in Ecclesiis etiam Urbis invaluit, quantumvis lex Caeremonialis satis ubique innotescat, quod profecto arbitrii aut ignorantiae nota damnare non audemus. Retineri igitur potest, nostra ex sententia, usus de quo in casu, quippe qui laudabilis videtur, ex quo in insignioribus Ecclesiis ab ipsa suprema auctoritate fuit probatus.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

VOLUMEN SECUNDUM

(Continuatio Tit. X, n. 1, n. 349. *V. fasc, Decembris 1901).*

§ 6. — **Dies propria, dies non propria.**

Iam supra notavimus a primis saeculis consuevisse Ecclesiam festa celebrare, diebus ipsis recurrentibus in quibus vel Domini mysterium impletum fuit, ut Nativitas Domini die 25 decembris, aut Sancti martyrium subiere, ut S. Laurentius die 10 Augusti. Dies ideo in quibus haec festa celebrantur, dicuntur *propriae;* scilicet dies 25 decembris est *propria* pro Nativitate Domini, 10 Augusti propria S. Laurentii; dominica proxime succedens lunae XIV mensis martii, est dies *propria* Paschatis Resurrectionis, et Feria V post Trinitatem est dies *propria* Corporis Christi. Notandum tamen est, quod non tantum quaedam festivitates Domini, vel B. Mariae Virginis, celebrantur in diebus non determinatis ex historico eventu, sed delectis ab Ecclesia, uti Transfiguratio Domini, Visitatio B. M. V. et Rosarium eiusdem, pro sua voluntate; sed nonnulla etiam festa Sanctorum, uti iam vidimus, non celebrantur in die eorum obitus, ex. gr. S. Vincentius a Paulo, S. Paulus a Cruce et alii plurimi.

Ideoque, sicut dicitur dies *propria* 10 Augusti pro S. Laurentio, 15 Augusti pro Deiparae Assumptione, etc., ita dies *propria* dicitur 6 Augusti pro Transfiguratione, 2 Iulii pro

Visitatione B. V., Dominica I Octobris pro S. Rosario, 28 Aprilis pro S. Paulo a Cruce, et 19 Iulii pro S. Vincentio. Quacumque enim ex causa aliqua dies eligatur ab Ecclesia ad celebrandum festum aliquod, eo ipso dies illa *propria* evadit pro tali festo, sive fixum sit sive mobile, natalitia vel non natalitia.

Attamen, sicut habentur dies *propriae*, habentur etiam dies *non propriae*. Quando enim separatur officium a suo festo, ut supra declaravimus, dies, in qua officium assignatum est, dicitur et est *dies non propria*. Hinc in allatis exemplis dies 29 Maii, in qua repositum est officium S. Mariae Magdalenae de Pazzis, et dies 24 Iulii pro Clero Romano in qua agitur officium S. Vincentii a Paulo, dicuntur *dies non propriae;* dies namque *propria* illius S. Virginis, est 25 Maii, et dies *propria* S. Vincentii, prout vidimus, est semper 19 Iulii.

§ 7. — Dies natalitia et quasi-natalitia.

Natale Sanctorum, seu eorum *dies natalitia*, iuxta sensum Christianum piissimum et suavem, non est in qua ortum quis sumpsit in terra, bene vero illa, in qua vitam aeternam obtinuit in coelo. S. Augustinus (*Serm. 113 de diversis*) haec habet: *Ecclesia... natales vocat praetiosas Martyrum mortes... Quid est hoc fratres? Quando natus est* (*S. Cyprianus*) *ignoramus, et quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus; sed illum diem non celebramus, etsi noscemus, illo enim traxit originale peccatum, isto autem die vicit omne peccatum.* Attamen, non tantum dies martyrii, sed et dies mortis naturalis, seu dormitionis aut depositionis alicuius Sancti Confessoris, vocatur ab Ecclesia *dies natalitia*, ob eamdem rationem. Id testatur S. Ambrosius (*Serm. de deposit. S. Eusebii*) scribens: *Depositionis ipsa dies natalis dicitur, quo delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris.*

Hinc passim in Martyrologio legimus, non tantum pro Martyribus, sed et pro Confessoribus, die 10 Ianuarii: *Natalis S. Pauli Eremitae;* die 2 Maii: *Natalis S. Athanasii;* die 4 Octobris: *Natalis S. Francisci;* etc. Et sic communiter scriptores sacri.

Hinc S. R. C. die 19 Decembris 1893 n. **3816,** nolens sensum huiusmodi primaevae fidei deserere, declaravit: *Temporalis nativitas alicuius Sancti vel Beati, excepta illa Deiparae Virginis nec non S. Ioannis Baptistae, celebrari non posse liturgico ritu, vel alio sacrae solemnitatis modo, etiamsi fieret die obitus vel alio quocumque die memoriae eiusdem Sancti vel Beati.*

Haec autem vox *Natale*, vel *Natalis dies* in Ecclesia accepta est pro die festo, ita ut in citato cathalogo Filocaliano, etiam festum Cathedrae S. Petri, die 22 Februarii, vocatur Natale: *VIII Kal. Mart. Natale Petri de cathedra.* Cum quo concordat S. Augustinus *(Serm. 15 de Sanctis)* qui, de Cathedra eadem alloquens, dicit: *Recte ergo Ecclesiae natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit.* Dicitur ergo *dies natalitia* alicuius Sancti, illa in qua obdormivit in Domino, sive morte naturali, sive morte ex martyrio.

Quoniam vero, uti iam vidimus, Ecclesia consuevit determinare aliquando dies festos sanctorum diversos ab eorum natale, hinc ipsimet dies omnia possident iura diei natalitiae, et opportune vocantur dies *quasi-natalitii.*

In nullo equidem scriptore hanc locutionem invenimus, nos ipsi tamen eam in nostris scriptis iam ab anno 1890 induximus, ut videre est in *Ephemeridibus liturgicis* anni eiusdem pag. 592, necessitate ducti; et laetamur quod non solum alii scriptores eam acceptarunt, sed ipsamet S. R. C. in suo generali decreto 21 Novembris 1893 n. **3811** suam fecit decernens: *Si duo festa, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die propria natalitia, scilicet, aut quasi-natalitia. etc.*

Id agere oportuit pro necessaria perspicuitate; dicemus itaque, diem 10 Augusti *natalitiam* esse S. Laurentii, quia in ea martyrium sumpsit. sicut diem 28 Iulii *natalitiam* esse Ss. Nazarii, Celsi et Victoris I. Martyrum ac Innocentii I. Conf.; sed dicemus quoque diem 28 Aprilis esse *quasi-natalitiam* S. Pauli a Cruce. diem dominicam infra octavam B. M. V. esse *quasi-natalitiam* S. Ioachim.

Notandum item est, quod utraque dies, *natalitia* et *quasi natalitia*, ut dicit S. R. C. in citato decreto **3811,** est vere *propria* illius festi, atque omnibus iuribus et privilegiis diei propriae fruitur.

Hic placet referre quod ad rem scribit more suo Clarissimus P. Guyetus, *(Heortologia lib. 2. c. 2, qu. 3)* ... " Festa cum transferuntur, alio maiori officio impedita, sic a suo die proprio abscedunt, ut ipsi nihilominus semper addicta remaneant, adeoque sublato alio impedimento, in eo iugiter celebrentur. Quae vero mutantur in alium diem, hunc abdicato penitus pristino die, firma deinceps ac perpetua statione quasi proprium sibi vindicant. „

Cum ergo ob impedimentum temporaneum seu *accidentale* aliquod *officium* transfertur; imo, et quando ob impedimentum *perpetuum* aliquod *Officium* alia die *assignatur*, sublato impedimento, officium illud in sua die *propria* in quo affixum remansit, *festum* redire debet. Quando vero, ob causas sibi benevisas existimavit Ecclesia *mutare* diem festum alicuius Sancti, tunc dies *mutata* evadit *quasi-natalitia*, ac si esset in sua sede.

Quatuor indicat Guyetus (*loco citato*) causas cur Ecclesia consuevit aliquando mutare dies *natalitias* sanctorum, et in alios *quasi natalitios* transferre. Prima, quando natalis dies occupatur a digniore festo; ut S. Basilius e die 1 Ianuarii in 14 Iunii mutatus est, qua fuit ordinatus.

Secunda, tempus minus idoneum ad festa celebranda; sic Decollatio S. Ioannis Baptistae, circa Paschae festum inter-

fecti, indicta est die 29 Augusti, quando, ut habet Martyrologium Romanum, *eius venerandum caput, secundo inventum fuit, ac postea Romam translatum.*

Tertia causa, quia nonnunquam dies translationis seu inventionis, seu ordinationis celebrior est die ipso natali.

Quarta denique, in iis Martyribus locum habet, qui cum plures sint numero, nec omnes una die perempti, omnium tamen natalis simul una die consignatur, ut S. Mauritii et Sociorum.

Quinta alia causa nunc adduci potest, quae Guyeto aliisque scriptoribus aufugit, et est, ut aliquod festum solemnius celebretur cum feriatione, sicque, a die natalitia ablatum, in aliqua Dominica recolendum assignatur, ne festa de praecepto multiplicentur.

Hac ex causa, Clemens Pp. XII, preces excipiens Caroli VII Imperatoris, anno 1738 festum S. Ioachim a die 20 Martii ad Dominicam infra octavam Assumptionis B. M. V. transtulit. Similiter, cum S. Pius V, festum B. Mariae de Victoria die 7 Octobris instituisset, qua die perinsignis victoria apud Echinadas insulas a Christianis parta est anno 1571, Gregorius XIII idem festum sub titulo de Rosario in Dominica prima Octobris celebrandum indixit. (V. *Martyr. Rom. die 7 Octob.*).

Idem dicatur de festo Ss. Nominis Iesu, quod in Dominica II post Epiphaniam ex decreto Innocentii XIII celebratur, et de festo S. Nominis Mariae V. quod iussu Innocentii XI in Dominica infra octavam Nativitatis eiusdem paragitur.

Ex hac causa pariter hodie, ut plurimum, festum Dedicationis omnium ecclesiarum, alicuius dioecesis, sive religiosae familiae, celebratur in aliqua Dominica, ut feriatio diei Dominicae addicta, in honorem transeat festi ipsius Dedicationis.

§ 8. — Festum Generale et Festum particulare seu proprium.

Quando egimus de *Calendario* (nota 3. § 15), distinguere debuimus inter Calendarium generale, totius nempe Ecclesiae quae utitur Romano ritu, et Calendarium particulare alicuius dioecesis, vel religionis, vel ecclesiae localis. Quod diximus de Calendariis, hic quoque intelligendum est de festis; festum enim *generale* illud dicitur, quod celebratur in universali Ecclesia, ac proinde inscribitur in Calendario Breviarii Romani, festum vero *particulare* sive *proprium*, illud dicitur, quod vel ex antiqua consuetudine ultra centenaria ante Pium V. vel vi Rubricaum, ut Titulus et Dedicatio Ecclesiae et loci Patronus, vel ex apostolicae sedis indulto, celebratur in aliqua dioecesi, vel civitate, vel religione, vel etiam in aliqua particulari ecclesia.

Unde sequitur inter festa particularia dari aliam subdistinctionem, *festa propria* et *festa magis-propria*. Ex. gr. in dioecesi P. die 9 Augusti agitur festum S. Xysti II Pp. Mart., cum autem in collegiata quadam eiusdem dioecesis P. eadem die celebrandum sit festum S. Firmi M. ratione reliquiae insignis, in hac collegiata dicta die agitur festum S. Firmi M. eo quod est *magis proprium*, et S. Xysti persolvitur officium in alia die. Quia, hoc principium retinendum est in commensuranda praestantia plurium festorum eadem in die incidentium, ut *primum locum, habeat officium ecclesiae particularis; secundum Ordinis seu Religionis; tertium Dioecesis; quartum Nationis; et quintum Ecclesiae universalis*, ut decrevit S. R. C. die 5 Maii 1736 ad 1 *Reliqua dubia*, n. 2319. Ad rem scribit Cavalerius (*T. 2, C. 26, dec. 223*): *festa quae magis sunt propria et particularia, aliis, quae magis universalia sunt praeferuntur;* quia, subdit de Herdt *(p. 4, n. 29) quo magis festa propria et particularia sunt, eo magis sunt celebria, maioremque habent relationum ad locum et personas, ubi et a quibus celebrantur.*

Hoc autem principium, non est contrarium legibus translationis de quibus nunc nobis agendum est; licet enim festa quaedam universalis Ecclesiae solemniora, semper praeferenda sunt festis particularibus, attamen principium intactum remanet. Ratio est, ait De Herdt *(p. 4. n. 28. II) quod huiusmodi festa tali tantaque religione et solemnitate ex Ecclesiae instituto ubique celebrari debeant;* dedeceret quidem in aliquibus locis vel ecclesiis, diversum obiectum recoli illis diebus, quibus universalis Ecclesia, quasi uno ore et corde, illas praecipuas solemnitates concelebrat. Aliis verbis: festum particulare, quia ut magis proprium, maiorem habet relationem ad locum ubi celebratur, ideo praefertur festo generali; festa vero solemniora ecclesiae universalis, cum et ipsa strictissimam habeant relationem cum omnibus locis, ecclesiis et personis, evadunt et ipsa *particularia* et *propria*, ideoque haec semper et ubique praevalent omnibus aliis festis.

Allatum ergo principium in nihilo laedit leges translationis.

(*Continuabitur*).

Doct. Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 1, pag. 28-33).

Sed et cavendum est, ne eiusmodi panni aliquid lugubre significent, ac proinde excludendus omnino est color violaceus, et a fortiori niger. Ubi tamen consuevit, lugubri apparatu Ecclesiam adornare, occasione qua iusta persolvuntur, sive pro omnibus fidelibus defunctis, sive pro defunctis alicuius Congregationis (non vero alicuius peculiaris personae), cum expositione SS. Sacramenti, nihil est reprehendendum dummodo *praecipua pars Cappellae*, in qua manet SS.mum Sacramentum, *festivis velis* ornetur (S. R. C., 13 Martii 1804, *in Florentina*, n. **2558**-*4490*).

Quod demum habet Caeremoniale Episcoporum (*Lib. I, c. 12, n. 16)*, de solemniori ornatu Altaris, potissimum dici debet pro Altari solemnis expositionis SS.mi, quatenus nihil aliunde opponatur; si enim, ut ibi dicitur, " altare vel locus, ubi est repositum SS. Sacram ntum, prae ceteris sumptuosius ac nitidius exornandum est „, eo magis id est praestandum, cum Sacramentum palam exponitur. Idcirco gradus omnes Altaris *amplo et pulchro tapete cooperiantur;* pars saltem anterior Altaris pallio contegatur *perpulchro*; circa mensam, mappis seu tobaleis, apponantur, si placeat, *fasciae*

ex auro vel serico elaboratae ac variegatae, seu textile denticulatum, etc.

Ancipites haeremus circa flores, apponendos, sive naturales, sine arte confectos. Eos admittit cl.mus Pighi (Liturg. Sacramentor., *De exposit. solemni XL Horar. n. 117)*, imo dicit: " Altare ornatum esse debet. . . . floribus „; romana praxis contraria est, pro hac dumtaxat expositione, non item pro aliis, haud exclusa expositione Feriae V in Coena Domini; silet Instructio nostra; unde concludendum esse deducitur, consuetudinem locorum, hac de re, attendi posse et debere.

§ IV. Sopra l'Altare non vi si pongano Reliquie di Santi o Statue de'medesimi (non escludendosi però quelle degli Angeli, che facciano figura di candelieri), e molto meno vi si pongano figure dell'anime del Purgatorio, di qualsiasi materia: il che si proibisce anche in tutte le esposizioni particolari, ed in quelle che talvolta si fanno per suffragio di quelle anime.

§ IV. In Altari non ponantur Sanctorum Reliquiae (7) aut Statuae (non exclusis tamen Angelorum Statuis, quae candelabrorum vicem gerunt (8), et multo minus ponantur animarum Purgatorii figurae, cuiusvis sint materiae; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, imo etiam in iis, quae in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur (9).

(7) Confirmatur haec sanctio decretis S. R. C.; altero in *Aquen.* d. d. 2 Sept. 1741, n. **2365**-*4119*, ad I, in quo sermo est de expositionibus quibuscumque; altero in *Senen.* d. d. 19 Maii 1838, n. **2779**-*4831*, in quo est casus de expositione SS.mi in Pyxide clausi, et ad breve temporis spatium. Ex hoc, post cl.mi Gardellini obitum, lato decreto, facile evincimur,

non amplius eius sustineri posse opinionem, de *inopportunitate* Reliquias removendi ab Altari, in quo habetur transitoria expositio in S. Pyxide. Quid tamen de Reliquiis, quasi ad ornatum, inter candelabra positis? Distinguendum: aut agitur de expositione Sacramenti primario intenta, et tunc caveatur ut Altare iuxta Decretorum literam paretur, quae vetat ne eiusmodi Reliquiae apponantur; aut agitur de expositione, quae occasionaliter, ut ita dicamus, est facienda, v. gr. immediate post solemnem Missam in festivitate quadam primaria Ecclesiae, cum Altare nobiliori, eoque simpliciori apparatu adornatur, et tunc iterum distinguendum: Si valde incommode, aut etiam indecore, amoverentur praefatae Reliquiae, tunc, ex necessitate, sunt tolerandae, sin vero faciliter et convenienter amoveri queunt, servetur lex. Non videmus enim cur nimis insistendum foret hac in re, dum legis spiritus et finis aeque servarentur; eo quod nec Reliquiae, in casu, populi attentionem trahunt, nec venerationi in almum Sacramentum detrahunt, quum earum cultus, tunc saltem, non intendatur.

Quod si Reliquiae exponantur alio in Altari, quod non prohibetur, omittenda sunt tamen semper, expositione durante, benedictio cum ipsis Reliquiis ac earumdem osculum (S. R. C. 17 Iulii 1900, in *Lauden.* ad II). Idem quod dicitur de Reliquiis Sanctorum intelligendum est et de Statuis (V. sup., n. 5.).

(8) Dubitari nunc potest, an Angelorum orantium statuae retineri possint? Et affirmative reponimus; namque, et vidimus ipsam nostram Instructionem eiusmodi admittere statuas candelabra sustinentia; hae porro, prout multis in locis videre est, magnae interdum sunt, et in figura orantium. Insuper et in ipsa Ss. Patriarchali Basilica Vaticana, cum expositio fit ad sacellum SS.mi Sacramenti, nullimode Angeli orantes amoventur aut absconduntur; ita nec aliis in Ec-

clesiis Urbis, in quibus perpetua habetur adoratio. Quid enim, nisi devotionem fovere eiusmodi figurae sunt aptae, dum sensibilibus sub oculis ponunt, quod occulto iam fidei subiicitur intuitu, Angelorum nimirum circa divinissimum Sacramentum famulatus?

(9) Quoad imagines animas Purgatorii repraesentantes (abstrahentes ab expositione perpetua, in qua quaevis imagines prohibentur) notandum est, illas tantummodo prohiberi, si tanquam ad venerationem sive ad cultum quomodocumque apponantur: dum nemo unquam autumavit, vetitas esse, quae symbolice exponuntur, v. gr. ad denotandam B. Virginis Mariae protectionem super sibi devotos defunctos; quae passim videntur, praecipue in Ecclesiis *a Suffragio* nuncupatis.

§ V. Sopra detto Altare in sito eminente vi sia un Tabernacolo o Trono con Baldacchino proporzionato di color bianco, e sopra la base di esso, vi sia un Corporale per collocarvi l'Ostensorio o Custodia, il cui giro sarà attorniato di raggi, e non vi sarà davanti alcun ornamento, che impedisca la vista del SS.mo.

§ V. Super Altare praedictum et in eminenti situ sit tabernaculum, sive Thronus cum baldachino proportionato albi coloris (10), supra cuius planitie ponatur Corporale (11), ad exponendum Ostensorium aut Custodiam radiis circumfulgentem (12), contra vero quivis absit ornatus ex quo SS. Sacramenti aspectus impediatur (13).

(Continuabitur).

I. B. M. c M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Haiti.* **De concedente facultatem Missae privatae in nocte Nativitatis Domini.** Antiqua Collectio Decretorum S. R. Cong.nis continebat sequentem dispositionem: " *Rupellen.* An in Oratoriis publicis seu Cappellis media nocte Nativitatis Christi dici valeat Missa etiam sine cantu, iuxta regionis consuetudinem?

Die 7 Sept. 1850 " *(Resp.)* Spectare ad Episcopum. „

Haec dispositio cum in nova Collectione non legatur, concludendum ne eiusmodi facultatem Episcopis esse sublatam? Nonne decisio implorari posset, ex qua eiusmodi facultas Episcopis restituatur?

Resp. Quaesivimus in antiqua Collectione praefatum Decretum, quod reperire datum non fuit; imo addimus, in illa revera non fuisse inscriptum. Cl. De Herdt id explicite notat, dicens: " Decretum in *Rupellen.* in Collect. authent. non invenitur (*Tomo III, n.* **5** *3. in Nota*). „ Non est ergo tenendum, Episcopos praefatam facultatem posse concedere, cum potius contrarium constet: ut dictum Decretum particulare respicere queat Dioecesim unicam, cuius Episcopus privilegio fruebatur praefatam permissionem tribuendi. Hinc, neque in veteri neque in praesenti Collectione insertum fuit. Aliunde ex Decretis pluribus resultat, hanc facultatem uni Sanctae Sedi reservatam esse, non Episcopis. Notatu dignum peculiariter est Decretum in *Arboren.* n. **1554**, in quo refertur abusus quorumdam Regularium Missas privatas in nocte Nativitatis Domini celebrandi. Sacra autem R. C. non solum hoc negotium Episcopo non remittit, sed ipsi imponit, ut " sub poena interdicti, aliisque canonicis remediis etiam nomine eiusdem S. C., quatenus opus sit, praedictum abusum eliminare curet. „

Ergo satis superque constat, dictum Decretum uti omnino locale, ius liturgicum non constituere. Aliunde certo quoque constat seu ex Decretis seu ex praxi, concessionem facultatis Missarum privatarum pro dicta Nativitatis nocte soli reservatam esse Pontifici. Consequentur oleum videremur et operam perdere, si ius easdem Missas concedendi pro Episcopis a S. R. C. velimus implorare.

II. *Ex Utino.* **De commemorationum praecedentia.** Hoc anno, in nostro Calendario, die 16 Maii, qua occurrit festum S. Ioannis Nepomuceni (dup. min.), fieri in secundis Vesperis debet commemoratio feriae Ascensionis, est enim feria VI post dicti festi Octavam, et etiam alia commemoratio de S. Maxima Virg. ritus duplicis, facti simplicis a vigilia Pentecostes. Ex dictis duabus commemorationibus cuinam competit praecedentia?

Resp. Principium, ante omnia, memorandum, certum et non discussioni obnoxium, ex quo propositi Dubii solutionem nullam difficultatem praeseferre facile dices. Prima et altera commemoratio in Vesperis, pertinentes ad festa concurrentia inter se, reliquis omnibus semper sunt praeferendae: excipe, quae ratione concomitantiae nunquam separantur, uti S. Petri et S. Pauli. Ita explicite docet Gen. Rubrica (*Tit. IX, n. 11*). Quaeras ergo in casu quaenam sint duo festa, quae concurrunt: et certo invenies primo S. Ioannem Nepomucenum, de quo actum est officium die 16 Maii, secundo invenies Sabbatum, seu vigiliam Pentecostes, de qua agendum erit die sequenti. Nec mireris, quod de hac vigilia facienda sit in his Vesperis commemoratio, est enim ritus semiduplicis et vere concurrit. Hinc Rubrica specialis posita ante feriam VI post Octavam Ascensionis haec habet: " Duobus sequentibus diebus (*feria VI scilicet et Sabbato, quod est vigilia Pentecostes*), Officium fit sicut infra Octavam Ascensionis. " Ergo sub ritu semiduplici; sed officium semiduplex habet primas et secundas Vesperas, et in his iure concurrendi gaudet.

Opponere quidem potes, haberi in casu S. Virginem Maximam ritus duplicis, cui prae semiduplici competit praecedentia. At notandum in oppositum, S. Virginem, licet ritus duplicis, factam fuisse simplicem, proindeque iure concurrendi privatam; ergo concurrere non potest, neque per consequens ad officia concurrentia pertinet.

Superest ergo, ut prima com. post officium Vesperarum de S. Ioanne Nepomuceno sit de sequenti semiduplici, seu de vigilia Pentecostes, et tertia de S. Maxima ad simplicis instar redacta.

III. *Ex Urbe.* **De quodam S. R. Cong.nis responso, quod apocryphum fortasse est.** Iuxta quandam Ephemeridem Gallicam *(Le Prêtre, 19 Dec. 1901, pag. 224)*, sequentes declarationes S. R. Cong.ni tribuuntur: " In precibus, seu Oratione, post Missam (non conventualem) a Sacerdote recitandis, uti in cunctis sacrae Liturgiae Orationibus, habetur canon, qui praecipit: *a)* nomen S. Ioseph B. M. Virginis Sponsi Conf., *indeclinabiliter* semper enunciandum esse; *b)* nomina SS. Iosephorum a Cruce, de Cupertino, Calasanctii etc. declinanda esse iuxta regulas grammaticae latinae.

Neque decisio habenda erat quoad conclusionem Orationis in enunciatis superius precibus; siquidem *Per Christum. . .* patet dicendum esse, quum Unigenitus Dei Filius nullimode in praecedentibus Orationis illius verbis nominetur.

Nulla item decisio prolata fuit quoad privatam recitationem Matutini cum Laudibus, pridie ab hora secunda anticipandam; siquidem singulis petentibus conceditur eiusmodi anticipatio ab hora *prima* pomeridiana. Quoad horam secundam consulantur Theologiae Moralis probati auctores. „ Quid?

Resp. Falsa non audemus asserere omnia et singula, quae a praecitata Ephemeride S. R. Tribunali tribuuntur, uti cl. Consulens fortasse optat: quia absolute loquendo vera esse possent, iisdemque in hypothesi caput inclinare Auctoritati niteremur. Nihilominus ex dicendis solidissimum infe-

rimus argumentum, nisi pro falsitate, certo pro gravissima eorum dubietate.

1. Ait praedicta Ephemeris, duas quaestiones super *S. Ioseph* vel Iosepho nominando, et super verbo *eumdem* addendo vel reticendo, delatas fuisse Romam, et a S. R. Congregatione responsum, ut supra, fuisse receptum. At quaerimus, quae nova respondendi ratio esset ista, a ceteris eiusdem Tribunalis responsionibus prorsus diversa? Quare dubia proposita, uti de more, ac relativae solutiones non vulgantur? Dies inscripta responsi historice refertur, nempe 9 Nov. 1901: qua de causa, seu de litteris agatur, seu de Decreto, loco suo de more non ponitur? Quare subscriptio non apponitur seu E.mi S. R. Cong.nis Praefecti, seu Secretarii, vel saltem huius ultimi, si de Epistola quaestio sit? Negotium sua gravitate non caret pro omnibus Sacerdotibus: quare ergo haud primo Romae, uti pluribus abhinc annis fieri consuevit, publici iuris responsio facta est, ut omnibus facilius innotesceret? Qui fieri potest, ut Commissio Liturgica nihil prorsus de hac responsione rescierit? Hinc iam patet gravissima dubitandi ratio de huiusce authenticitate responsi.

2. Sed rem in seipsa placet perpendere. Supposita responsio docet, tam in Oratione post Missam, quam in ceteris liturgicis, haberi canonem praecipientem, Nomen S. Ioseph Sponsi Deiparae semper enunciandum esse *indeclinabiliter*, aliorum *Iosephorum* declinandos iuxta regulas grammaticae latinae. Canon est regula; sed hanc regulam nec novimus in Orationibus, aut Rubricis scriptam, neque vivae vocis datam oraculo a S. R. Cong.ne, aut a Summis Pontificibus, quod nusquam reperitur. Exempla Orationum esse fortasse eiusmodi non negamus, sed canonem extare, qui talem praecipiat sequendam normam, admitti non potest. Sane, nonne Oratio post Missam, uti iacebat usque ad praesentem aetatem, *Iosephum* ferebat declinatum? Nunc ne tantum Auctoritas huiusmodi canonem detexisset? Dicen-

dum potius, S. R. C. in hac Oratione, *Iosephum* Sponsum licet almae Virginis, declinare censuisse, eo quod canonem, istum non admisit. Haec pro prima parte suppositi canonis.

Quod alteram spectat partem, idem dicendum: dato, scilicet, nomen S. Ioseph, quo alii plures vocantur Sancti, generaliter declinari in sacra Liturgia, id constitueret exemplum, haud vero canonem; hinc nil vetat, quominus exemplis unius speciei, alterius speciei exempla sufficiantur. Ceterum nomina, quae vel declinari vel non declinari possunt, iuxta leges grammaticae, sive declinata sive non declinata usurpentur, idem perinde est, idem enim sonant ac significant. Ergo sive altero, sive altero modo adhibeantur, re in se spectata, nihil fit contra Liturgiam: secus ipsamet S. R. C. immo ipse Summus Pontifex Leo Pp. XIII, a quo Oratio, de qua agimus, immediate provenit, contra Liturgiam fecisset, quod profecto S. R. Cong.nem, implicite saltem, declarasse, credere nullo pacto licet.

3. Quae autem praefata Ephemeris refert circa verba *eumdem* ad *Per Christum* nequaquam addendum, quia *Unigenitus Dei Filius nullimode in praecedentibus Orationis illius verbis nominetur*, hoc est error immanis, quem omnino repugnat ut S. R. C. docuerit. *a*) Certe in Oratione illa dicitur: *Intercedente . . . Dei Genitrice Maria*; at quis est iste Deus, nisi *Unigenitus Dei Filius?* Num Maria genuit Deum Patrem, vel Deum Spiritum Sanctum? Nemo, ne dicam, fidelis, nemo certe sanae mentis id asseret. Ergo ille Deus, Unigenitus Filius est Patris, est Christus, cuius Genitrix est Maria: consequenter est simpliciter falsa propositio S. R. Cong.ni tributa. *b*) Nisi rationi iugulanti adhibeas fidem, praestant exempla. Prima et altera Oratio prostant in Missali inter Orationes diversas, quarum illa habet in decursu " intercessio Sanctae Dei Genitricis Mariae „: ista habet " intercedente . . . Dei Genitrice Maria „; et utriusque conclusio fert: *Per eumdem* etc.

Legas Postcommunionem alterius praecitatae Orationis, eademque in dictione invenies eandem conclusionem: *Per eumdem* ... Legas secretam de S. Maria, ut primam de eadem Beata sileamus, eumdemque fere casum perspicies. Quare? Quia quod asseritur in praefata Ephemeride, et S. R. Cong.ni tribuitur, falsum est, et ab eadem S. Cong.ne prodire non potuit. Verum est consequenter oppositum, et qui nominat *Dei Genitricem*, eo ipso nominat *Unigenitum Filium Dei*, non quidem materialiter, sed formaliter: hoc autem liturgice loquendo satis est, ut in conclusione Orationis dicatur; *Per eumdem*: quod theologice verum esse nemo ibit inficias.

4. Denique Ephemeris dicit, non solum nullam, quoad privatam recitationem Matutini cum Laudibus pridie ab hora secunda anticipandam, fuisse decisionem prolatam, quod libenter uti verum concedimus; sed addit, singulis petentibus concedi eiusmodi anticipationem ab hora prima, et quoad horam secundam consulendos esse probatos auctores. Animadvertimus, S. R. Cong.nem posse concedere anticipationem pro hora prima post meridiem, non diffitemur; sed ab eadem Auctoritate non concedi anticipationem pro hora secunda absolute negamus. Quia paucis abhinc diebus ipsimet oculis nostris legimus exemplar huiusce facultatis; imo certa scientia scimus, utramque concedi: adeo ut pro secunda non sit in more S. R. Cong.nis respondere petentibus: Consulantur Theologiae Moralis probati Doctores.

Quaeri nunc potest quomodo scribere talia potuerit Ephemeris *Le Prêtre*, cum gravissimum suppetat argumentum, ea nimis esse dubia, nisi omni authenticitate careant? Ancipites haeremus; dicimus nihilominus, praefata potuisse in aliqua Epistola contineri, cuius auctor, non Auctoritas publica fuerit, sed aliqua persona privata. Quod autem a privata persona dictum est, S. R. Cong.ni, non quidem iure, sed iniuria tributum est.

Postremo animadvertimus, attentis praeteritis rebus, factam fuisse nobis potestatem declarandi: in praefata Oratione post Missam recitanda uti posse Celebrantes, seu tabellis antiquis, in quibus habetur et nomen Ioseph declinatum, et conclusio sine *eumdem*: sed posse etiam uti novis tabellis, in quibus et nomen S. Ioseph prostat non declinatum, et conclusio habet: *Per eumdem.*

Hoc autem ulterius probat, nomen S. Ioseph indeclinabiliter esse adhibendum in Liturgia nullum adesse canonem, si ab anterioribus abstrahas exemplis, et *Per eumdem* posse in conclusione omitti, si in decursu Orationis explicite Iesu aut Christi nomen non fuerit pronuntiatum. Sed aliud est *posse*, aliud est *obligari.*

VI. *Ex Hispania-Navarra.* **De Commemoratione persoluti officii in primis Vesperis I. cl.** In Ephemeridibus anni elapsi (fol. 401) sequens dubium legitur cum relativo responso, quod non concordat cum doctrina auctoris Solans: " In primis Vesperis festi duplicis primae classis commemoratio diei octavae Dedicationis propriae Ecclesiae, cuius officium mane persolutum fuit, facienda ne est vel omittenda? (*Resp.*) Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam ". Quare haec commemoratio facienda est? Nonne quia de festo primario Domini, ritus duplicis primae classis agitur? Haec ratio pro regula ne sumi debet?

Resp. Obiter praenotandum, in gratiam Consociatorum, Dubium ac relativum responsum, de quo agitur, non esse Ephemeridum, sed pertinere ad Decretum in una *Dubiorum* ad IX, d. d. 24 Maii 1901 (*V. num. 7, pag. 401*), ut non opinionem responsio contineat, sed veritatem indubie sequendam.

Ut autem ratio dicti responsi intelligatur, vi cuius commemoratio diei octavi Dedicationis Ecclesiae propriae celebrati agenda est in primis Vesperis sequentis festi dupl. I classis, animadvertendum est, Rubricam novam pro casu

aliquanto ab antiqua differre. Antiqua enim Rubrica in secundo ex Praenotandis post Concurrentiae tabellam sic se habebat: In secundis Vesperis diei octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis et Corporis Christi, de sequenti duplici fit tantum commemoratio, nisi illud fuerit primae vel secundae classis, quia tunc de festo fieret officium et de octava commemoratio. „ Emendata vero legit: " In secundis Vesperis diei octavae festorum Domini, si primaria fuerint et solemniora, uti Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, aliorumque, de sequenti duplici, si concurrat, fit tantum commemoratio, nisi hoc fuerit primae vel secundae classis; quia tunc de eo fieret officium et de octava commemoratio „.

Ex qua Rubricae mutatione abunde patet, privilegium concessum a Rubrica antiqua diei octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis et Corporis Christi, a nova extensum esse ad omnia festa primaria solemniora Domini, pro eorum diebus octavis. At definitum est in praesenti, Dedicationem esse festum Domini, et si sit Ecclesiae propriae, esse quoque primarium et solemnius in loco. Cum ergo lex inter solemnius universalis et solemnius festum particularis Ecclesiae non distinguat, iam patet praefati privilegii esse etiam participem diem octavam Dedicationis Ecclesiae propriae. Sapienter proinde Dubio proposito responsum fuit: Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

Hanc autem responsionem pugnare cum doctrina a cl. Solans tradita, mirum esse non debet, si antiquae Rubricae stetit, et ante emendationem illius scripsit.

Optime ergo inquirit adm. Rev. Consulens, utrum alia de causa praefata commemoratio fiat, seu quia agitur de festo Domini primario et duplici I classis, seu quia de festo Domini solemniori. Cui petitioni affirmative omnino reponimus; quinimo haec ratio indubie pro regula sumi debet: ut quotiescumque illa pari in casu comprobatur, commemoratio de die octava fieri debeat, secus omittenda.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Hispania.* 1. Tres in Vesperis faciendae sunt commemorationes *de Communi plurimorum Martyrum*, et quaeritur qui sint versus pro singulis commemorationibus. *Resp.* Primus versus erit: *Laetamini in Domino*: alter erit: *Exultabunt Sancti in gloria*: tertius erit: *Exultent iusti* de 2. Noct. iuxta Decretum **4041** ad V.

2. Si iuxta Decretum **3767**, Dub. addit., ad II, in Missa Ss. Angelorum Custodum die 2 Oct. omittenda est com. S. Angeli Custodis regni, unam credimus adesse rationem, Angelum Custodem regni contineri inter Angelos Custodes. Cum ergo eadem ratio aequo marte militet in Vesperis, liquido profluit, in 2.is Vesperis diei 2 Octobris, uti et in Laudibus praecedentibus, Angelorum Custodum dictam commemorationem Angeli Custodis regni pariter esse omittendam.

3. Certum est, vi Decretorum, electionem Abbatissae non esse causam gravem pro Missa votiva canenda. Praxis in casu est contraria, legitima tamen, quod vi Constitutionum inducta. Porro eiusmodi Constitutiones antiquiores credimus, quam S. R. Cong.nis Decreta; ergo talem Missam Decretis prohibentibus, praxis cessare debuit, quae nihilominus perseveravit, et ut arbitramur bona fide. Quid impraesenti? Censemus consultius esse ut S. R. C. audiatur, quae fortasse, attenta tot saeculorum praxi, illam est permissura. Quidquid sit, nimis foret, nobis videtur, ab antiquissima praxi Moniales praedictas impedire.

II. *Pro Haiti.* 1. Difficultas sciendi qua die Episcopus sit proclamatus in Consistorio, negligenda videtur; quia facillimum id scitu est, dummodo per Litteras Romam missas

inquiratur. Aliunde, cum Decreta declarent, diem anniversarii electionis Episcopi, qua Missa vel commemoratio agenda est, illam considerari unice debere, qua in Consistorio ipsamet electio fuit publicata, non est cur ulterius sit discutiendum.

2. Si cl. Consulens perpendat Decreta **3650**, et **3666**, id omne inveniet, quod ad functionem mense Octobri rite peragendam necessarium est, credimus. Hinc fortasse aliud Decretum omissum fuit in Collectione.

3. Facta hypothesi, ex qua in Calendario tria transferenda sint officia, et duo tantum dies liberi suppetant, iure festum semiduplex redigitur ad instar simplicis, ut in eo locum inveniat dup. II classis transferendum. Hinc recte officium S. Andreae Ap. repositum fuit die 1 Dec., facto simplici S. Didaco, die 22 eiusdem mensis S. Thomae Ap. et die 23 Patrocinii Deiparae. Hoc pro Dioecesi.

4. Impeditis officiis Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris (d. 9 Nov.), ut ea die agatur Dedicatio Omn. Ecclesiarum territorii Gallici, Patrocinii Deiparae in eamdem diem incidentis, quae est Dom. II Nov. hoc anno omittenda, et S. Thomae Apostoli (21 Dec.), pro Seminario; Patrocinium Deiparae translatum est in diem 22 Dec. (dies assignata), S. Thomas in diem 23 eiusdem mensis, facto simplici S. Melchiade P. M. (dup. min.), et Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris hoc anno suppressa est: Num recte? Affirmative, unica de causa, quia dies 22 est perpetuo assignata pro Patrocinio Deiparae, ut ea dies non sit libera pro Seminario. Consequenter, cum una dies supersit libera, nempe 23 Dec., in ea S. Thomas Ap. reponendus erat; et Dedicatio SS. Salvatoris, cui locus non superest, redigenda ad ritum simplicem erat die sua, quod tamen cum fieri non potuisset ob diem 1 cl. occurrens, iure suppressa fuit pro hoc anno.

SPECIMEN CALENDARII
UNIVERSALIS ECCLESIAE
PRO ANNO DOMINI 1903

in quo PASCHA contingit die 12 Aprilis.

Tabella Temporaria.

Litera Dominicalis	d.
Aureus Numerus	4.
Epacta	II.
Litera Martyrologii	b.
Indictio Romana	I.
Cyclus Solaris	8.
Dominicae post Epiphaniam .	4.
Dominicae post Pentecosten . .	25.

Festa Mobilia.

Septuagesima	8 Febr.
Dies Cinerum	25 Febr.
PASCHA RESURRECT .	12 April.
Rogationes	18, 19, 20 Maii.
ASCENSIO DOMINI . .	21 Maii.
PENTECOSTES	31 Maii.
CORPUS CHRISTI . . .	11 Iunii.
Dominica 1 Adventus . .	29 Nov.

Quatuor Anni Tempora.

In vere	4, 6, 7 Mart.
In aestate	3, 5, 6 Iunii.
In autumno	16, 18, 19 Sept.
In hyeme	16, 18, 19 Dec.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT

A die 7 Ianuarii ad diem 24 Februarii inclusive, et a die 20 Aprilis ad diem 28 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS

✠ 1 F. 5. CIRCUMCISIONIS DNI *d. 2. cl.*
2 F. 6. Oct. Stephani *d.* c. octav.
3 S. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
✠ 4 D. *(vacat.)* Oct. Innoc. *d.*
5 F. 2. Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6 F. 3. EPIPHANIAE DOMINI *d. 1. cl. cum oct. privil.*
CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE
7 F. 4. De 2. die infra oct. *sem.*
8 F. 5. De 3. die infra oct. *sem.*
9 F. 6. De 4. die infra oct. *sem.*
10 S. De 5. die infra oct. *sem.*
✠ 11 D. infra oct. 1. p. Epiph. *sem.* c. oct. et Hygini. — *Inc. Ep. I. ad Corinthios.*
12 F. 2. De 6. die infra oct. *sem.*
13 F. 3. Oct. Epiph. *d.*
14 F. 4. Hilarii *d.* c. Felicis.
15 F. 5. Pauli I. Erem. *d.* c. Mauri.
16 F. 6. Marcelli I. *sem.* — *Resumuntur Suffragia.*
17 S. Antonii *d.*
✠ 18 D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU, *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Priscae in Laud. et Miss. priv.).
19 F. 2. Canuti Reg. *sem. ad lib.* c. Marii et Soc. — *Inc. Ep. II. ad Corinthios*, ex Dom. praec.
20 F. 3. Fabiani et Sebastiani *d.*
21 F. 4. Agnetis *d.*
22 F. 5. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*).
23 F. 6. Raymundi a Pennaf. *sem.* c. Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et Veneto.* Desponsat. B. M. V. *d. m.* c. Ioseph ac Emerentianae.
24 S. Timothei *d.*

✠ 25 D. 3. p. Epiph. Convers. Pauli *d. m.* c. Petri Ap. ac Dom. - *aliq. loc.* S. Familiae *d. m.* c. Dom.
26 F. 2. Polycarpi. *d.*— *Inc. Ep. ad Galatas*, ex Dom. praec.
27 F. 3. Io. Chrysostomi *d.*
28 F. 4. Cathedrae Rom. *(f. 18. hui.) d. m.* c. Pauli Ap. ac Agnetis.
29 F. 5. Francisci Salesii *d.*
30 F. 6. Martinae *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Ep. ad Ephesios*, ex fer. 4. praec.
31 S. Petri Nolasco *d.*

FEBRUARIUS

Ubi est concess. Off. S. Familiae

✠ 1 D. 4. p. Epiph. Ignatii *d.* c. Dom. *Inc. Ep. ad Philippenses.*
✠ 2 F. 2. Purificationis B. M. V. *d. 2. cl.*
3 F. 3. Convers. Pauli *(f. 25. Ian.) d. m.* c. Petri Ap. et Blasii.
4 F. 4. Andreae Corsini *d.* — *Inc. Ep. ad Colossenses*, ex fer. 3. praec.
5 F. 5. Agathae *d.*
6 F. 6. Titi *d. (In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.)* c. Dorotheae. — *Inc. Ep. I. ad Thessalonicenses*, ex fer. 5. praec.
7 S. Romualdi *d.* — ll. 1. Noct. *Inc. Ep. II. ad Thessalonicenses*, 9. l. hom. et com. Dom. 5. p. Epiph.

Ubi non est concess. Off. S. Familiae

✠ 1 D. 4. p. Epiph. Ignatii *d.* c. Dom. ll. 1. Noct. 1. et 2. *Inc. Ep. ad Philipp.* 3. *Inc. Ep. ad Coloss.* ex fer. 3. seq.
✠ 2 F. 2. Purificationis B. M. V. *d. 2. cl.*
3 F. 3. De Dom. 5. p. Epiph. *simp.* (ss. ex 1. Noct. Dom. 2. post Epiph.) c. Blasii.
4 F. 4. Andreae Corsini *d.* — ll. 1. Noct. *Inc. Ep. I. ad Timoth.* ex Dom. 5. p. Epiph.
5 F. 5. Agathae *d.*
6 F. 6. Titi *d. (In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.)* c. Dorotheae. — ll. 1. Noct. 1. et 2. *Inc. Ep. II. ad Timoth.* ex fer. 3. p. Dom. V. l. 3. *Inc. Ep. ad Titum*, ex fer. 5. p. Dom. V.
7 S. Romualdi *d.* — *Inc. Ep. ad Philemonem*, ex Sabb. p. Dom. V.

✠ 8 D. Septuagesimae *2. cl. sem.* c. Ioannis de Matha.
9 F. 2. Cyrilli Alexandrini *d. (In Stat. Eccl.* Titi *ass. ex 6. hui. d.)* c. Apolloniae.
10 F. 3. Scholasticae *d.* — *aliq. loc.* Orationis Dni *d. m.* c. Scholasticae.
11 F. 4. Sept. Fundatorum *d.*
12 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *In Stat. Eccl.* Cyrilli Alexandrini *(ass. ex 9. hui.) d.* — *Extra Stat. Eccl. in loc. in quib. concess. est Off. Desponsat.* Raymundi a Pennaf. *(ass. ex 23. Ian.) sem.*
13 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion. — *In Stat. Eccl.* Raymundi a Pennaf. *(ass. ex 23 Ian.) sem.*
14 S. De B. M. in Sabb. *simp. (vel* Vot. Imm. Concept.) c. Valentini.
✠ 15 D. Sexagesimae *2. cl. sem.* c. Faustini et Iovitae.
16 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
17 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. *(Romae.* Vot. Petri et Pauli) — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.*
18 F. 4. Simeonis *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Simeonis.
19 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
20 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion.
21 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 22 D. Quinquagesimae *2. cl. sem.*
23 F. 2. Vigil. Petri Damiani *d.* c. Vigil.
24 F. 3. Mathiae *d. 2. cl.*
Cras clauduntur Nuptiae
25 F. 4. Cinerum *simp. (In Italia* c. Margaritae de Cortona).
26 F. 5. Cathedrae Antioch. *(f. 22. hui.) d. m.* c. Pauli Ap. — *aliq. loc.* S. Columnae Flagellat. D. N.

J. C. *(f. 24. hui.) d. m.* Per tot. Quadrag. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae.
27 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.*
28 S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Cathedrae Antioch. *(f. 22. hui.) d. m.* c. Pauli Ap.

Incipit pars verna Breviarii.

MARTIUS

✠ 1 D. 1. QUADRAG. *1. cl. sem.*
2 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
3 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
4 F. 4. QUAT. TEMP. Casimiri *sem.* c. Lucii I.
5 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
6 F. 6. QUAT. TEMP. De ea — *vel* Vot. Passion. — *aliq. loc.* Lanceae et Clavorum *d. m.*
7 S. QUAT. TEMP. Thomae Aquin. *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.
✠ 8 D. 2. QUADRAG. *2. cl. sem.* c. Ioannis de Deo.
9 F. 2. Franciscae Rom. *d.*
10 F. 3. Quadraginta Mm. *sem.*
11 F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.
12 F. 5. Gregorii Magni I. *d.*
13 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sindonis Dni *d. m.*
14 S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 15 D. 3. QUADRAG. *2. cl. sem.*
16 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
17 F. 3. Patritii *d.*
18 F. 4. Cyrilli Hierosol. *d.* — *aliq. loc.* Gabrielis Archang. *d. m.*
✠ 19 F. 5. IOSEPH *d. 1. cl.*
20 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion. — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *(ass. ex 18. hui.) d.* — *Ubi vero est concess.* Quinque Vulnerum Dni *d. m.*
21 S. Benedicti *d. m.*
✠ 22 D. 4. QUADRAG. *2. cl. sem.* (*In Italia* c. Catharinae Fliscae Adurnae).
23 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *(f. 20 ass. ex 18. hui.) d.*
24 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
✠ 25 F. 4. ANNUNTIATIONIS B. M. V. *d. 1. cl.*
26 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
27 F. 6. Ioannis Damasceni *d.* — *aliq. loc.* Pretios. Sanguinis Dni *d. m.*
28 S. Ioannis a Capistrano *sem.*
✠ 29 D. PASSIONIS, *1. cl. sem.* " Cessant Suffragia et Off. vot. "
30 F. 2. De ea — *aliq. loc.* Io. Damasceni *(f. 27 hui.) d.*
31 F. 3. De ea.

APRILIS

1 F. 4. De ea.
2 F. 5. Francisci de Paula *d.*
3 F. 6. VII Dolorum B. M. V. *d. m.*
4 S. Isidori *d.*
✠ 5 D. PALMARUM *1. cl. sem.* c. Vincentii Ferreri.
6 F. 2. mai. hebd. De ea.
7 F. 3. mai. hebd. De ea.
8 F. 4. mai. hebd. De ea.
9 F. 5. in COENA DOMINI *d. 1. cl.*
10 F. 6. in PARASCEVE *d. 1. cl.*
11 SAB. SANCTUM *d. 1. cl.*
✠ 12 D. PASCHA RESURRECTIONIS *d. 1. cl. cum oct.*
13 F. 2. DE EA *d. 1. cl.* (nil de Hermenegildo)
14 F. 3. DE EA *d. 1. cl.* (nil de Iustino ac Tiburtio et Soc.).
15 F. 4. De ea *sem.*
16 F. 5. De ea *sem.*
17 F. 6. De ea *sem.* c. Aniceti.
18 S. De eo *sem.*
✠ 19 D. IN ALBIS *1. cl.* De ea *d.*
CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE
20 F. 2. Leonis I. *(f. 11. hui.) d.*
21 F. 3. Anselmi *d.*
22 F. 4. Soteris et Caii *sem.* — *Inc. lib. Act. App.* ex fer. 2. praec.
23 F. 5. Georgii *sem.*
24 F. 6. Fidelis a Sigmaringa *d.*

25 S. Marci *d. 2. cl.*
✠ 26 D. 2. p. Pascha. De ea *sem.* c. Cleti et Marcellini - *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio *d. m.* c. Dom.
27 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. In 2. Noct. ant. *Immittet.* — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini (*ass. ex 26. hui.*) *sem.*
28 F. 3. Pauli a Cruce *d.* c. Vitalis.
29 F. 4. Petri *d.*
30 F. 5. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*)

MAIUS

1 F. 6. Philippi et Iacobi *d. 2. cl.*
2 S. Athanasii *d.*
✠ 3 D. 3. p. Pascha. Inventio Crucis *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. priv.).
4 F. 2. Monicae *d.* - *Inc. lib. Apocal.* ex Dom. praec.
5 F. 3. Pii V. *d.*
6 F. 4. Ioannis ante P. L. *d. m.* (ll. 1. Noct. de Scr. occ.).
7 F. 5. Stanislai *d.*
8 F. 6. App. Michaelis Arch. *d. m.*
9 S. Gregorii Naz. *d.*
✠ 10 D. 4. p. Pascha. Antonini *d.* c. Dom. ac Gordiani et Epimachi. — *Inc. Ep. Iacobi*
11 F. 2. Patrocinii Ioseph *(f. 3. hui.) d. 2. cl.*
12 F. 3. Nerei et Soc. *sem.*
13 F. 4. De ea, ℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec. — *vel* Vot. Ioseph.
14 F. 5. Bonifacii *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Bonifacii.
15 F. 6. Io. Bapt. de la Salle *d.*
16 S. Ubaldi *sem.* — *aliq. loc.* Ioannis Nepomuc. *d.*
✠ 17 D. 5. p. Pascha. Paschalis Bayl. *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. I. Petri.*
18 F. 2. Rogat. Venantii *d.* c. fer.
19 F. 3. Rogat. Petri Coelestini *d.* c. Pudentianae (In Miss. 3. or. Rogat.)
20 F. 4. Rogat. Vigil. Ascens. Bernardini Senens. *sem.* c. Vigil. (In Miss. 3. or. Rogat.).
✠ 21 F. 5. ASCENSIO DOMINI *d. 1. cl. cum oct.* (*In Italia* nil de Felice a Cantal.).
22 F. 6. De oct. *sem.* — *aliq. loc.* Ubaldi (*ass. ex 16 hui.*) *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. II. Petri.*
23 S. De oct. *sem.*
✠ 24 D. infra oct. De ea *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. I. Ioannis.* — *In Stat. Eccl.* B. M. V. Auxil. Christ. *d. m.* c. Dom. et oct.
25 F. 2. Gregorii VII. *d.* c. oct. ac Urbani I. — *In Stat. Eccl. Inc. Ep. I. Ioannis*, ex Dom. praec.
26 F. 3. Philippi Neri *d.* c. oct. ac Eleutherii — *Romae* ✠ Philippi Neri *d. 2. cl.* c. Eleutherii in Laud. et Miss. privat.
27 F. 4. Bedae *Venerabilis d.* c. oct. ac Ioannis I.
28 F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Augustini.
29 F. 6. Mariae Magd. de Pazzis *sem. (In Italia d.)* c. fer. — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Ep. II. Ioannis*, ex fer. 4. praec. 2. et 3. *Inc. Ep. III. Ioannis.*
30 S. Vig. Pent. De ea *sem.* c. (*cum 9. l.*) Felicis I. in Laud. tant. — *In Stat. Eccl.* c. (*cum 9. l. ex 3 una*) Ferdinandi III. ac Felicis I. in Laud. tant. — *Inc. Ep. Iudae* " Cessant Octavae „.
✠ 31 D. PENTECOSTES *d. 1. cl. cum oct. privil.* (nil de Angela Merici ac de Petronilla).

IUNIUS

1 F. 2. De ea *d. 1. cl.*
2 F. 3. De ea *d. 1. cl.* (nil de Marcellino et Soc.).
3 F. 4. Quat. Temp. De ea *sem.*
4 F. 5. De ea *sem.* c. Francisci Caracciolo.
5 F. 6. Quat. Temp. De ea *sem.* c. Bonifacii.
6 S. Quat. Temp. De eo *sem.* c. Norberti.

Incipit pars aestiva Breviarii.

✠ 7 D. 1. p. Pent. *1. cl.* TRINITATIS *d. 2. cl.* c. Dom.
8 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel. — *Inc. lil. I. Reg.*
9 F. 3. Primi et Feliciani *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Primi et Feliciani.
10 F. 4. Margaritae *sem.*
✠ 11 F. 5. CORPORIS CHRISTI *d. 1. cl. cum oct. privil. — aliq. loc. cum oct. privil. ut Epiph.*
12 F. 6. Ioannis a S. Facundo *d.* c. oct. ac Basilidis et Soc.
13 S. Antonii *d.* c. oct.
✠ 14 D. infra oct. 2. p. Pent. Basilii *d.* c. Dom. et oct.
15 F. 2. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Viti et Soc.
16 F. 3. De oct. *sem.*
17 F. 4. De oct. *sem.*
18 F. 5. Oct. Corporis Christi *d.* c. (*sine l.*) Marci et Marcelliani.
19 F. 6. CORDIS IESU *d. 1. cl.* (nil de Iuliana Falconeriis ac de Gervasio et Protasio).
20 S. Barnabae *(f. 11 hui.) d. m.* c. Silverii.
✠ 21 D. 3. p. Pent. Aloisii *d.* c. Dom.
22 F. 2. Paulini *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Paulini — *aliq. loc.* Basilii *(f. 14. hui.) d.* c. Paulini.
23 F. 3. Vigil. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Vigil.
✠ 24 F. 4. NATIVITATIS IOANNIS BAPTISTAE *d. 1. cl. cum oct.*
25 F. 5. Gulielmi *d. (Romae et aliq. loc.* Gallicani *d.)* c. oct.
26 F. 6. Ioannis et Pauli *d.* c. oct.
27 S. Vigil. De oct. *sem.* (Miss. Vigil. c. oct.) — *Romae et aliq. loc.* Gulielmi *(ass. ex 25 hui.) d.* c. oct. et Vigil.
✠ 28 D. 4. p. Pent. De ea *sem.* c. Leonis II. ac oct.
✠ 29 F. 2. PETRI et PAULI *d. 1. cl. cum oct. — aliq. loc.* c. omn. App.
30 F. 3. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri Ap. ac oct.

IULIUS

1 F. 4. Oct. Nativ. Ioann. *d.* c. oct. App.
2 F. 5. VISITATIONIS B. M. V. *d. 2. cl.* c. (*Romae* oct. App. ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.
3 F. 6. De oct. *sem.*
4 S. De oct. *sem.*
✠ 5 D. 5. p. Pent. PRETIOSISS. SANGUINIS DNI *d. 2. cl.* c. Antonii M. Zaccaria ac Dom. (*Romae* addit. c. oct. App.).
6 F. 2. Oct. Petri et Pauli *d.* — *Inc. lib. II. Reg.* ex Dom. praec.
7 F. 3. Cyrilli et Methodii *d.*
8 F. 4. Elisabeth Portug. *sem.*
9 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram. — *Romae.* Prodigior. B. M. V. *d. m.* — *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*
10 F. 6. Septem Fratrum etc. *sem.*
11 S. De B. M. V. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Pii I. — *Romae* Veronicae de Iulianis *(ass. ex 9 hui.) d.* c. Pii I.
✠ 12 D. 6. p. Pent. Ioannis Gualberti *d.* c. Dom. ac Naboris et Felicis
13 F. 2. Anacleti *sem.*
14 F. 3. Bonaventurae *d.*
15 F. 4. Henrici *sem.*
16 F. 5. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*
17 F. 6. Alexii *sem.* (Romae *d.*)
18 S. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filiorum.
✠ 19 D. 7. p. Pent. Vincentii a Paulo *d.* c. Dom. — *Inc. lib. III. Reg.*
20 F. 2. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.
21 F. 3. Praxedis *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Praxedis.
22 F. 4. M. Magdalenae *d.*
23 F. 5. Apollinaris *d.* c. Liborii.
24 F. 6. Vigil. De ea, c. Christinae — *vel* Vot. Passion. c. Vigil. et Christinae.

÷ 25 S. Iacobi *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss. priv.
✠ 26 D. 8. p. Pent. Annae *d. 2. cl.* c. Dom.
27 F. 2. Pantaleonis *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Pantaleonis.
28 F. 3. Nazarii et Soc. *sem.*
29 F. 4. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.
30 F. 5. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Sacram. c. Abdon et Sennen.
31 F. 6. Ignatii. *d.*

AUGUSTUS

1 S. Petri ad Vincula *d. m.* c. Pauli Ap. ac Machabaeorum.
✠ 2 D. 9. p. Pent. I. Aug. Alfonsi *d.* c. Dom. ac Stephani I.
3 F. 2. Invent. Stephani *sem.*
4 F. 3. Dominici *d. m.*
5 F. 4. Dedic. B. M. V. ad Nives *d. m.*
6 F. 5. Transfig. Dni *d. m.* c. Xysti II. et Soc.
7 F. 6. Caietani *d.* c. Donati — *Inc. Parabolae Salomonis*, ex Dom. praec.
8 S. Vigil. Cyriaci et Soc. *sem.* c. Vigil.
✠ 9 D. 10. p. Pent. 2. Aug. De ea *sem.* c. Romani — *Inc. lib. Ecclesiastes* — *aliq. loc.* Comm. omn. Pontif. c. Dom. et Romani.
÷ 10 F. 2. Laurentii *d. 2. cl. cum oct.*
11 F. 3. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Susannae — *aliq. loc. Inc. lib. Ecclesiastes*, ex Dom. praec.
12 F. 4. Clarae *d.* c. oct.
13 F. 5. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.
14 F. 6. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. ac Eusebii. Miss. Vigil. c. oct. ac Eusebii.
✠ 15 S. ASSUMPTIONIS B. M. V. *d. 1. cl. cum oct.*
✠ 16 D. 11. p. Pent. 8. Aug. Ioachim *d. 2. cl.* c. Hyacinthi (*aliq. loc.* c. Rochi) ac Dom. tant.
17 F. 2. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt. — *Inc. lib. Sapientiae*, ex Dom. praec.
18 F. 3. De oct. *sem.* c. Agapiti. — *aliq. loc.* Hyacinthi (*ass. ex 16. hui.*) *d.* c. oct. et Agapiti.
19 F. 4. De oct. *sem.*
20 F. 5. Bernardi *d.* c. oct.
21 F. 6. Io. Franc. Fremiot de Chantal *d* c. oct.
22 S. Vigil. Oct. Assumpt. *d.* c. Vigil. (*except. Roma*) ac Timothei et Soc.
✠ 23 D. 12. p. Pent. 4. Aug. Philippi Benitii *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Ecclesiastici* — *aliq. loc.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Philippi Benitii et Dom.
÷ 24 F. 2. Bartholomaei *d. 2. cl.* — *Romae.* Vigil. De ea, ll. hom. (ex 1. Noct. Dom. 1. Aug. in iis loc. tant. ubi die 9. hui. peract. est Off omn. Pontif.) — *vel* Vot. Angel. c. Vigil. (*Inc. lib. Ecclesiastici* si heri lect. non fuit).
25 F. 3. Ludovici *sem.* (in Gallia *d.*) — *aliq. loc. Inc. lib. Ecclesiastici*, ex Dom. praec. — *Romae* ÷ Bartholomaei *d. 2. cl.*
26 F. 4. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Ioseph c. Zephyrini. — *Romae* Ludovici *sem.* c. Zephyrini. (*Inc. lib. Ecclesiastici*, si dieb. praec. lect. non fuit).
27 F. 5. Iosephi Calasanctii *d.*
28 F. 6. Augustini *d.* c. Hermetis.
29 S. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae. (Hoc anno omitt. Dom. 5. Aug. cum sua hebdom.).

Incipit pars autumnalis Breviarii.

✠ 30 D. 13. p. Pent. 1. Sept. Rosae Limanae *d.* c. Dom. ac Felicis et Adaucti. — *Inc. lib. Iob.*
31 F. 2. Raymundi Nonnati *d.*

SEPTEMBER

1 F. 3. Aegidii *simp.* c. Duodec. Fratrum — *vel* Vot. App. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Aegidii ac Duodec. Fratrum.

2 F. 4. Stephani Hung. Reg. *sem.*
3 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
4 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passion. — *In Stat. Eccl.* Rosae a Viterb. *d.*
5 S. Laurentii Iustiniani *sem.*
✠ 6 D. 14. p. Pent. 2. Sept. De ea *sem.*
7 F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
✠ 8 F. 3. Nativitatis B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Hadriani in Laud. et Miss. priv.
9 F. 4. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
10 F. 5. Nicolai a Tolentino *d.* c. oct.
11 F. 6. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.
12 S. De oct. *sem.*
✠ 13 D. 15. p. Pent. 3. Sept. Nominis Mariae *d. m.* c. Dom.
14 F. 2. Exaltat. Crucis *d. m.* c. oct.
15 F. 3. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. Nicomedis.
16 F. 4. Quat. Temp. Cornelii et Cypriani *sem.* c. fer. ac Euphemiae et Soc. — *Inc. lib. Tobiae*, ex Dom. praec.
17 F. 5. Impressio Stigmat. Francisci *d.*
18 F. 6. Quat. Temp. Iosephi a Cupertino *d.* c. fer.
19 S. Quat. Temp. Vigil. (de qua nil in Off.) Ianuarii et Soc. *d.* c. fer. (In Miss. 3. or. Vigil.).
✠ 20 D. 16. p. Pent. 4. Sept. VII. Dolorum B. M. V. *d. m.* c. Eustachii et Soc. ac Dom.
21 F. 2. Matthaei *d. 2. cl.*
22 F. 3. Thomae de Villanova *d.* c. Mauritii et Soc. — *Inc. lib. Iudith*, ex Dom. praec.
23 F. 4. Lini *sem.* c. Theclae.
24 F. 5. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25 F. 6. De ea (ŘŘ. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Passion.
26 S. De B. M. in Sabb *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Cypriani et Iustinae.
✠ 27 D. 17. p. Pent. 5. Sept. De ea *sem.* c. Cosmae et Damiani — *Inc. lib. Esther.*
28 F. 2. Wenceslai Ducis *sem.*
29 F. 3. (Romae ✠) Dedic. Michaelis Archang. *d. 2. cl.*
30 F. 4. Hieronymi *d.*

OCTOBER

1 F. 5. Remigii *sem. ad libit. vel simpl. de praecepto* (in Gallia *d.*).
2 F. 6. Angel. Custod. *d. m.*
3 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 4 D. 18. p. Pent. 1. Oct. Rosarii B. M. V. *d. 2. cl.* c. Dom.
5 F. 2. Francisci (f. heri) *d. m.* (*Romae*. Gallae *d. Inc. lib. I. Machab.* ex Dom. praec.) c. Placidi et Soc.
6 F. 3. Brunonis *d.* — *Inc. lib. I. Machab.* ex Dom. praec. (except. *Roma*).
7 F. 4. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Ioseph, c. Marci ac Sergii et Soc. — *Romae*. Francisci (*f. 4. hui.*) *d. m.* c. Marci ac Sergii et Soc.
8 F. 5. Birgittae *d.*
9 F. 6. Dionysii et Soc. *sem.*
10 S. Francisci Borgia *sem.*
✠ 11 D. 19. p. Pent. 2. Oct. De ea *sem.* — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d. m.* c. Dom.
12 F. 2. De ea (*aliq. loc.* ŘŘ. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Angel.
13 F. 3. Eduardi Reg. *sem.*
14 F. 4. Callisti I. *d.*
15 F. 5. Teresiae *d.*
16 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.
17 S. Hedwigis *sem.*
✠ 18 D. 20. p. Pent. 3. Oct. Lucae *d. 2. cl.* c. Dom. (*aliq. loc.* nil de Purit. B. M. V.).
19 F. 2. Petri de Alcant. *d.*
20 F. 3. Ioannis Cantii *d.*
21 F. 4. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Ioseph, c. Hilarionis ac Ursulae et Soc.
22 F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacram.
23 F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *Romae*. Redemptoris *d. m.*

24 S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Raphaëlis Archang. *d. m.*

✠ 25 D. 21. p. Pent. 4. Oct. De ea *sem.* c. Chrysanthi et Dariae. — *Inc. lib. II. Machab.*

26 F. 2. Evaristi *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Evaristi.

27 F. 3. Vigil. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Vigil.

28 F. 4. Simonis et Iudae *d. 2. cl.*

29 F. 5. De ea (℟℟. fer. 5.) — *vel* Vot. Sacram. — *Igitur Eleazarus*, ex Dom. V. Oct.

30 F. 6. De ea (℟℟. fer. 6.) — *vel* Vot. Passion. — *Mortuo itaque*, ex fer. 2. post Dom. V. Oct.

31 S. Vigil. De ea, ll. hom. (℟℟. fer. 4.) — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. — *Antiochus autem*, ex fer. 3. post Dom. V. Oct.

NOVEMBER

✠ 1 D. 22. p. Pent. 1. Nov. OMNIUM SANCTORUM, *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.

2 F. 2. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.* — *Inc. lib. Ezechielis*, ex Dom. praec.

3 F. 3. De oct. *sem.*

4 F. 4. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.

5 F. 5. De oct. *sem.*

6 F. 6. De oct. *sem.*

7 S. De oct. *sem.* (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.).

✠ 8 D. 23. p. Pent. 3. Nov. Oct. omnium Ss. *d.* c. Dom. ac Quatuor Coronat. — *Inc. lib. Danielis.*

9 F. 2. Dedic. Archibasilic. Salvatoris *d. m.* c. Theodori.

10 F. 3. Andreae Avellini *d.* c. Triphonis et Soc.

11 F. 4. Martini *d.* c. Mennae.

12 F. 5. Martini I. *sem.*

13 F. 6. Didaci *sem.* — *In Italia* Stanislai Kostka *d.*

14 S. Iosaphat *d.*

✠ 15 D. 24. p. Pent. 4. Nov. 6. p. Epiph. Gertrudis *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Osee.*

16 F. 2. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Angel. — *In Italia* Didaci (*ass. ex 13. hui.*) *sem.*

17 F. 3. Gregorii Thaum. *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Ioël.*

18 F. 4. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*

19 F. 5. Elisabeth *d.* c. Pontiani — *Inc. Amos.*

20 F. 6. Felicis de Valois *d.* — ll. 1. Noct. 1. et 2. *Inc. Abdias*, 3. *Inc. Ionas*, ex Sabb. seq.

21 S. Praesentationis B. M. V. *d. m.*

✠ 22 D. 25. ult. p. Pent. 5. Nov. Caeciliae *d.* c. Dom.

23 F. 2. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.

24 F. 3. Ioannis a Cruce *d.* c. Chrysogoni — ll. 1. Noct. 1. *Inc. Michaeas*, ex Dom. praec. 2. *Inc. Nahum*, ex fer. 2. praec. 3. *Inc. Habacuc.*

25 F. 4. Catharinae *d.* — *Inc. Sophonias.*

26 F. 5. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini — *Inc. Aggaeus.* (*In Stat. Eccl.* ll. 1. Noct. ut supra, sed pro non utent. Off. vot. 1. *Inc. Aggaeus*, 2. *Inc. Zacharias*, ex fer. 6. seq. 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq.).

27 F. 6. De ea — ll. 1. et 2. *Inc. Zacharias*, 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq. (*in Italia* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Passion. — *Inc. Zacharias* tant. — *In Stat. Eccl.* Patrocinii B. M. V. (*f. 8. hui.*) *d. m.*

28 S. Vigil. De ea, ll. hom. (*in Stat. Eccl.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Vigil. — *Inc. Malachias* (sed *in Stat. Eccl.* ll. 1. Noct. 1. *Inc. Zacharias*, ex fer. 6. praec. 2. et 3. *Inc. Malachias.*)

Incipit pars hyemalis Breviarii.

Cras clauduntur Nuptiae

✠ 29 D. 1. Adv. *1. cl. sem.* c. Saturnini " Cessant Suffragia ".
÷ 30 F. 2. Andreae *d. 2. cl.* (Dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.).

DECEMBER

1 F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
2 F. 4. Bibianae *sem.*
3 F. 5. Francisci Xav. *d.*
4 F. 6. Petri Chrysologi *d.* c. Barbarae.
5 S. De eo, c. Sabbae — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Sabbae.
✠ 6 D. 2. Adv. *2. cl. sem.* c. Nicolai.
7 F. 2. Vigil. (de qua nil in Off.) Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. ac Ev. Vigil.).
✠ 8 F. 3. IMMAC. CONCEPT. B. M. V. *d. 1. cl. cum oct.*
9 F. 4. De oct. *sem.*
10 F. 5. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Translat. Almae Domus B. M. V. *d. m.* (in regione Picena *d. 1. cl. cum oct. quae suspendit. usq. ad diem 16. et terminat. ad Non. eiusd. diei*) c. Melchiadis *extra reg. Picen. tant.*
11 F. 6. Damasi I. *sem.* c. oct.
12 S. De oct. *sem.*
✠ 13 D. 3. Adv. *2. cl. sem.* c. Luciae et oct.
14 F. 2. De oct. *sem.*
15 F. 3. Oct. Imm. Concept. B. M. V. *d.*
16 F. 4. Quat. Temp. Eusebii *sem.* (*In reg. Picena* addit. c. oct. Translat Almae Domus B. M. V. in Laud. et Miss. tant.).
17 F. 5. De ea " Cessant Off. votiv. " — *O Sapientia.*
18 F. 6. Quat. Temp. De ea — *In Stat. Eccl., Veneto et Hispano* Expect. Part. B. M. V. *d. m.* — *O Adonai.*
19 S. Quat. Temp. Vigil. (de qua nil in Off.) De eo. In Miss. 2. or. Vigil. — *O Radix.*
✠ 20 D. 4. Adv. *2. cl. sem.* — *O Clavis.*
÷ 21 F. 2. Thomae *d. 2. cl.* — *O Oriens.*
22 F. 3. De ea — *O Rex.*
23 F. 4. De ea — *O Emmanuel.*
24 F. 5. Vigil. Nativ. De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*
✠ 25 F. 6. NATIVITATIS D. N. I. C. *d. 1. cl. cum oct. priv.*
÷ 26 S. Stephani *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nativ. — *aliq. loc.* c. omn. Mm. et oct. Nativ.
✠ 27 D. (*vacat*) Ioannis *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
÷ 28 F. 2. Innocentium *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
29 F. 3. Thomae Cantuar. *d.* c. octavar.
30 F. 4. De Dom. infra oct. Nativ. *sem.* c. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*
÷ 31 F. 5. Silvestri I. *d.* c. octavar. in Laud. et Miss. tant.

Hodie et Anno insequenti 1904 litera Martyrologii erit n *parva.*

DE PRAECONIO PASCHALI

Sermo R.mi P. AUGUSTINI LATIS, O. S. B. Congregationis Cassinensis, Romae habitus in Conventu II Congressus Archaeologici.

Illustrissimi Domini,

Invitatus ut particeps laborum fiam, quos alter Congressus Archaeologicus christianus sustinet, ante omnia grates Praesidi refero de honore hac ratione reddito Archiabbatiae Montiscassinensi, cuius me partes agere gaudeo. Et quamvis quasi terrore propemodum sim correptus hoc in Conventu sermonem habiturus, munus nihilominus adeo mihi honorum non detrectandum censui.

Monasterium, ad quod pertinere me placeo, revera iam per se fere unum ex capitibus archaeologiae constituit. Historia eius, gloria referta, pretiosissimae illius existentiae traditiones quatuordecim saeculorum, inaestimabilis thesaurus archivorum et Bibliothecae illius, aedificium ipsum cum suis constructionibus Pelasgicis, turris eius Romana, in qua ars christiana quasi novam induit formam, fanum illud Apollinis per S. Benedictum Sancto Ioanni Baptistae dicatum, tres basilicae sibi invicem succedentes, quarum singulas ipse Pontifex consecravit, haec, inquam, monumenta nos obligatione constringunt, nos, inquam, eiusmodi traditionum haeredes, ut participes simus eorum, quae Ecclesia in evolutione artium et scientiarum per saeculorum decursum sibi merito vindicat.

Rev.mus Pater Amelli, Confrater meusque Superior in

monastica vita, ac Praeses nostrae sectionis huius Congressus, iam sermonem fecit.

Me quod attinet, ut exhibitae mihi petitioni faciam satis, quaedam ex Liturgia eiusque historia exponam. Doleo tamen, quod tantum munus haud melioribus aptioribusque viribus sit concreditum.

Epocha anni ecclesiastici, qua modo versamur, obiectum pro mox dicendis mihi suppeditavit. Vix enim pauci dies praeterierunt, ex quo solemne illud *Alleluia* intonuit, postquam scilicet cereus Paschalis, symbolum Christi resurgentis, splendore suo sanctuaria nostra illuminavit. Et dum lumen hoc novum splendesceret, diaconus, minister ille, qui ordinarie textum evangelicum nobis annuntiare tantum assolet, os aperuit ut sensus intimos huius cerei explicaret eiusque concineret laudes.

De his laudibus " Praeconii Paschalis „ vel " Exultet „ ut etiam a verbo initiali nomen ducit, verba faciam. Expositio mea satis exigua modestaque erit, quasi gutta tantum in vasto liturgicae eruditionis oceano; attamen, nisi exponentem, obiectum profecto quod exponam, ad audientium conciliandos animos aptum fore confido.

Origo huius caeremoniae cerei Paschalis, iuxta aliquos (1), usque ad primum Concilium Nicaenum (325) ascendit. Certum autem omnino est, post saeculum quartum, diaconum iam canticum modulatum fuisse, quod tunc " Laus cerei „ vocabatur; (nomen in praesenti adhuc servatum " cerei huius laudem implere percipiat „).

Huiusce rei Prudentius (1) et S. Hieronymus (2) testimonium faciunt. Praeterea quod archaeologiam attinet, memoria quoque dignae sunt illae litterae, quibus idem sanctus Doctor se excusat apud Praesidium diaconum, qui ab eo petierat ut aliquam " laudem cerei „ componeret, confitens

(1) Hymnus ad incensum lucernae
(2) Patr. Lat. XIII. 188.

scilicet se huic voto facere satis non posse. Harum litterarum authentia, ceterum iam antea contestata, inviete, ut mihi videtur, vindicata est a Confratre P. Morui, qui et socius mihi ut ad Congressum pergerem datus est (1). Decretum igitur Sancti Zosimi Papae (418), qui " per parochias concessit licentiam benedicendi cereum Paschalem, „ nonnisi extensio est consuetudinis iam vigentis, praeconium scilicet decantandi in cathedralibus Ecclesiis, praesente Episcopo, uti nobis enarrat S. Hieronymus (2), imo etiam in parochiis, non Romae tantum, sed et alibi, uti declarat Amalarius (3).

Quinam est auctor huius " Exultet „? Huiusmodi quaestio procul dubio magni archaeologici momenti est, verum limites huius simplicis expositionis excederet. Textus modo usitatus plures indubie variationes subiit, idem tamen in summa mansit, ut absque temeritatis nota affirmare possimus, " Praeconium „ a S. Hieronymo acerba crisi perstrictum esse, saltem quoad praecipuas partes, idem, quod hodie adhuc concinimus. In medio aevo, nec non sequentibus saeculis, auctores liturgici designarunt auctorem cantici " Exultet „ S. Augustinum, " dum adhuc diaconus esset „. Dum S. Hieronymus cum indignatione (4) loquitur de periodis harmonicis in *Praeconio,* ubi reperiuntur " in modum sonantis aurae molliter verba cadentia, „ dum austeritate quadam offenditur memoriis classicis ibi contentis (sicut laus apum), hinc et conqueritur " quod Virgilii totus Georgicorum liber profertur in medium, „ anne Doctor irascibilis pro mente habeat nostrum " Exultet „, cum eius periodis amoenisque clausulis? (5). Vel quando scribere quamdam renuit " laudem cerei „ quod timeat ne illi fiat similis rhetori, cuius canti-

(1) Revue Bénédictine, Janvier 1891, Sept. 1 92, Sept. 1895.
(2) Cum tacente Episcopo.... Levita loquitur. Loc. cit.
(3) De eccl. off. I. cap. XVIII.
(4) Loc. cit.
(5) Vide Paleol. Musicale.

cum initio dicendi in altum se extollit, num meminit initii illius adeo lyrici: " Exultet iam angelica turba coelorum „? Alludi ne ad S. Augustinum, qui viginti post annis (406), scribens ad Praesidium (probabiliter eumdem ac supra memoratum; saepe enim eius nomen occurrit in litteris horum Doctorum) " precatur, ut demulceat S. Hieronymum „ et motum eius quem, inquit, non frustra timui? (1).

Haec quaestio ratione profecto non caret, et operae pretium foret, eam intimius examinare; ast vestra abutendi patientia non est mihi voluntas, et contentus ero, quaedam proferre de textu, de cantu ipsum comitante, nec non de modis, quibus media aetate, praesertim in abbatiis Benedictinorum, Praeconium concinebatur.

In omnibus variisque Praeconiis, quae novimus, eadem puncta principalia easdemque divisiones textus exhibet. Laudes aeterni luminis, symbolismus paschalis noctis, columna cerei cum sua flamma igneae columnae comparata, quae duxit Hebraeos in terram usque promissionis, cuncta haec inveniuntur exposita mira cum arte lyrica, cuius secretum Ecclesia possidet. Porro ipsum obiectum, de quo canticum pertractat, ansam praebet teneram invocandi almam Virginem, Salvatoris Matrem, quam cereus repraesentat, cui porro comparatur ipsa apis, quae ceram producit, et quae media aetate tamquam symbolum virginitatis habebatur.

Hic legitur copiosa apum laus, quae tantam S. Hieronymo indignationem genuit. Haec postea suppressa fuit, sed probabiliter serius ; nam in Missali Montiscassinensi XIV saeculi partem eius adhuc reperi. Notam aliquam magis praecisam deinde videbimus. Ante et post laudes apum cruces rubrae in pergamena delineatae designant textus loca, ubi diaconus benedicere debuit cereum, quae caeremonia obsoleta nunc, media aetate adeo fuit liturgica, ut tota haec functio " Benedictio cerei „ appellaretur.

(1) Patr. Lat. XXII. 915.

In quibusdam textibus diaconus Dominum orat, ut ignis et cera, quae fideles in domos suas deferunt, fons benedictionis (1) et modus praeservationis contra tempestates ac daemones evadat. Consuetudo quasdam sibi sumendi micas cerei Paschalis, usum devotionis " Agnus Dei „ (2) appellatum introduxit. Hic usus vigebat praesertim in Ecclesia Capuana, ubi ex materia cerei Paschalis cruces elaborabant, easque urbis domorumque affigebant portis (3). Huiusmodi viget adhuc usus apud Montem Cassinum, ubi in vigilia Ascensionis antequam cereus Paschalis, imago Christi, auferatur, cruces cereae portae monasterii necnon Ecclesiae agglutinantur.

Denique diaconus concludit, Dominum alloquens et rogans pro Papa, Episcopo, Clero, fidelibus. In monasteriis loco Episcopi nominatur Abbas (" una cum Congregatione beatissimi Patris Benedicti „); imo et Abbatissa in quibusdam monasteriis monialium, praesertim in Italia meridionali; ubi illis in Imperatorum orientalium gratiam non tantum exemptio a potestate Episcoporum, sed etiam iurisdictio ordinaria concessa erat!

Imperatores, reges, principes, duces vel consules, secundum varia territoria, locum quoque habent in oratione finali, ut saepesaepius, ex nominibus alicuius, aetas manuscripti coniici datum fuerit.

Etiam cantus textum concomitans progressu temporis mutationibus obnoxius erat. " Palaeographia musicalis „ erudita quaedam publicatio Confratrum nostrorum Solesmensium, cantum referebat mediae aetatis, prout invenitur in codicibus manu exaratis saeculi XI et XII. Haec est gratiosa quaedam compositio modi VI, quae tamen hodierno tempore monotona et textui parum congrua fortasse existimari posset.

(1) Ennodius.
(2) Durand. VI, cap. 79.
(3) Monachus Michael, Sanctuarium Capuanum, 486.

Sed reminiscendum, homines mediae aetatis aliter iudicium tulisse de modo sensum alicuius textus per musicam exprimendi. Nemo certo ex aetatis nostrae peritis, exempli gratia, IV modum eligeret pro introitu componendo Paschalis solemnitatis: " Resurrexi „, cuius non solum sensus, sedet metrum forte primum ex modis iuxta melodiam " Gaudeamus „ postulare videtur. Nihilominus quis posset, post pugnam victoriamque, requiei pulchriorem sensum invenire?

Antiqua melodia cantici " Exultet „ insuper eiusdem est naturae, dum in praesenti melodia nescis, quomodo de III modo in secundum, de hypodorio in phrygium incidas. In " Per omnia saecula saeculorum „ intervallum invenies satis praeceps, aures musicae peritorum offendens.

Sed melodia modi IV non erat unica tunc usitata. Aliam quoque reperii magis nostrae similem, in missali Lugdunensi, et quod forte miraberis, eandem in missali manu exarato Bibliotheae Neapolitanae, nec non Abbatiae Cavensis. Insuper quod animum recreat, et bibliothecarum frequentatores plurimi facient, fortunae rota favente, missale reperi " secundum consuetudinem Ecclesiae Salernitanae „ anno 1431 conscriptum, in quo habetur " Exultet „, cuius textus in secunda parte ab aliis longe differt, et cuius melodia ad I modum pertinet, prorsus nova et quibusdam ornamentis decoratur.

Quod caeremonialem partem attinet, Benedictio cerei variis constituitur obiectis. Candelabrum, quod recens Liturgia servat, et quod antiquiori aevo columna erat marmorea, uti in Ecclesia S.ti Pauli extra moenia et in Caietana Cathedrali Ecclesia prout et alibi adhuc videre est.

Praeter grana incensi, quae posteriori tempore invecta fuere, in Praeconii cantu usuveniebant volumina pergamena (in memoriam et in modum antiquorum voluminum) 30-40 cm. latitudinis, dum longitudinem numerus imaginum determinabat, quas artifices in textu inseruerunt.

Et revera nihil aptius ad attentionem fidelium conciliandam quam eiusmodi imagines, quae religioso artificum ingenio, in explicando textu, occasionem exercendi artem suppeditabant. Hae autem imagines ratione ipsi textui inversa positae erant, ut fideles audientes textum nulla respicere difficultate possent.

Haec volumina (pergamena) multa quidem non sunt numero, ea saltem, quae novimus, nam in Italia austrina, ubi in usu erant, quaedam eorum in imis adhuc veterum scriniis recondita fortasse iacent, in quibus ab eorum ignorantibus pretium stulte servantur.

E Barberiniana, Vaticana, Casanatensi bibliotheca iam Gerbert plura excitavit (1). Pieralisi de Barberiniana volumen iam vulgavit. Langlois volumen e Casanatensi. Kraus (2) et Ebner de iis quae alii dixerant, anacephalaeosim fecerunt. Ultimi qui hac in re adlaborarunt, Emilius Bertaux e meis sodalibus, ingeniosus Gallicae scholae discipulus Romae existentis, quem impraesenti abesse doleo, et Schlumberger fuerunt, qui expositioni voluminum Barii et Salernii inventorum operam dederunt.

Amicorum quorumdam auxilio adiuto, et mihi datum fuit quaedam detegere volumina usque adhuc incognita, ex quibus nonnulla ad Liturgiam spectantia, memoriae digna, eruere potui, aetatem praesertim, cui hodierna textus et melodiae forma tribuenda est. Ex tribus voluminibus unum fuit Caietanae Cathedralis Ecclesiae, quod hac de re certiorem me reddidit. Hoc enim in volumine, quod, dubio procul, ad aliquam Benedictinam pertinebat Abbatiam, uti verba " cum congregatione beatissimi Benedicti „ demonstrant, nescio qui, barbarorum more, textum et melodiam delere sunt ausi, nonnisi figuras relinquentes. Pro textu autem, veteribus litteris

(1) De cantu et musica sacra I. 447.
(2) Jeschichte der christlichen Kunst II. 1. 59.

longobardicis notisque saeculi XI exarato, quatuor denuo duxere lineas rubras, iisque notationem praesentis cantus, sub eoque textum characteribus Gothicis saeculi XIV suffecerunt. Papae nomen littera initiali *B*, Regis vero initiali *R* indicabatur. Hic absque dubio rex Neapolitanus est, cum ibi solum hoc tempore regnum in Italia existeret. Porro integra aetate media unum tantummodo Pontificem unumque regem eiusdem temporis historia refert, quibus hae litterae initiales conveniunt, videlicet Benedictum XII ab anno 1333 usque ad 1542, et Robertum a 1309 usque ad 1343. Aliunde textus cantusque praesens intra annos 1333 et 1342 fuerunt invecti.

Si ad figuras gradum facimus, quibus volumina exornantur, quaedam primo reperimus, quae omnibus communia sunt, uti imaginem diaconi cantantis et volumen manu tenentis, totius conventus cleri fideliumque in Ecclesia, Christi vincentis draconem, Christi redemptoris humanum e flammis genus eripientis, quod vir et femina repraesentant, Hebraeorum per mare rubrum transeuntium, imperatorum regumque Christum adorantium, apum in suis alveariis, Nativitatis Christi etc. quarum omnium singularumque figurarum unam phrasim textus illustrat.

Artifices quidam, praeter imagines quadam sibi norma praescriptas, genio suo indulgentes, alias adhuc repraesentarunt, uti Mariam Magdalenam ad pedes Christi Domini (1), mulieres ad sepulcrum Salvatoris, Annuntiationem, fideles offerentes munera, Adam et Evam in paradiso, et praesertim osculum Iudae. In omnibus his figuris Byzantinae artis natura conspicitur, de qua heri cl. Benigni disserens, super Dei matris (Madonna) imagine in Byzantina arte tam egregia verba fecit.

Mira quaedam conspiciuntur in tertio Caietano volu-

(1) Biblioth. Barberini.

mine; cum unius figurae loco, diaconum in pulpito referentis, quatuor exhibeantur, hoc est, quatuor vicibus idem Diaconus, iisdem, licet haud semper, personis circumdatus. In prima imagine visendum se praebet Episcopus et Rex in relativo sedentes throno (ut significetur profecto eorum sollertia et urbanitas). In sequentibus imaginibus, loco mulieribus destinato, in initio, fere vacuo, perplures videntur matronae puellaeque splendida veste indutae, in ultima, Regina quoque conspicitur duabus consociata mulieribus facie velo obductis.

In voluminibus superius descriptis etiam supellectilia ostenduntur, quae in aliis omnino non videntur. Ita in primo Caietano volumine diaconus apparet scabellum tantummodo ad pedes habens, alia vero volumina, praesertim Fundanum, abundant figuris, ambones, gradus, tapetia, nec non res immo architectonicas et vestimenta referentibus. Caeremoniae item diversa ratione exhibentur: in volumine Mirabellico Episcopus ipse cereum accendit, dum in aliis Subdiaconus, imo simplex clericus, hoc munere fungitur.

Lineamenta saepesaepius primigenia sunt satis, dum nihilominus abunde significant. Adduco e. g. imaginem iam supra citatam, Christum scilicet eripientem e flammis virum et mulierem, probabiliter Adam et Evam, cum figurae eorum supra verba textus " Adae debitum solvit „ inveniantur. In tertio Caietano volumine lineamenta miram inelegantiam sapiunt ; nihilominus vir, quem Christus triumphans liberat, mulierem gestu quodam tam idoneo significantique tenet, ut ipsum respiciens ceteros defectus artis pro nihilo habere cogaris.

Aliud, quod mihi occurrit, quaedam fuit diversitas pingentis manus nonnunquam in uno eodemque imaginum symplegmate. Ita e. g. in Fundano volumine, quod imaginem Iudae osculi exprimit, persona Christi apprime delineata est, cunctis servatis proportionibus, quod de aliis duabus praedicari ne-

quit. Item in secundo volumine imago princeps, Iudas Christum amplectens, et S. Petrus aurem Malchi amputans, diligenter depicti sunt. Item figura Salvatoris angorem, quo afficiebatur, perite exprimit: S. Petrus genu tenens super humerum Malchi, humi iacentis, dexteram illius aurem amputat, dum hic satis significanti modo se defendit; sed e contrario multitudo militum retro stantium imperitiam pictoris satis abunde revelat.

Sed prolixo nimis sermone usus, finem impono, peroptans, ut archaeologiae Christianae concedatur ad volumina iam detecta quamprimum illa quoque adiungere, quae hucusque incognita, multa forte memoriae digna continent pro arte Christiana.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE APRILI.

1. Quid requiritur ut hymnorum Doxologia uti propria habeatur?

2. Doxologia hymni Vesperarum in festo Omnium Sanctorum, et Matutini de Communi plurimorum Martyrum consideranda ne uti propria, adeo ut quacumque alia speciali occurrente, mutari non debeat, et etiam in aliis Horis canonicis sit retinenda?

3. Qua de causa doxologia hymnorum in festo Expectationis Partus B. M. Virginis ut propria habeatur.

APPENDIX

E. S. Cong.ne Concilii

LISBONEN.

Consuetudines in re liturgica.

Die 14 Decembris 1901.

Haec controversia proposita fuit in plenariis comitiis EE. PP. die 17 Febr. 1900 et prodiit rescriptum: " *Dilata et exhibeatur ordo officii divini seu kalendarium Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis* ".

Canonici nihil novi deduxerunt, Magister autem caeremoniarum per adlectum advocatum latius explicat animadversiones iam in praeterito folio adumbratas. Interim precor EE. Patres, ut pro sueta benignitate velint praeteritum folium resumere, ubi facti species et totius controversiae ratio explicatur. — Modo summam referam animadversionum, quas dedit advocatus Magistri caeremoniarum.

Hic primum loquitur de Missa conventuali, quam contendit, semper esse cantandam (Const. Benedicti XIV " Cum semper oblatas "), ex praecepto, quod, iuxta auctores, *sub gravi* obligat (Quarti, *p. I, tit. III, sect. I, dub. I;* Pasqualigo, *Q. 882;* Ferraris, *Voc. Canon, art. 1, num. 66 et seq.*): immo, urget Orator, iuxta decreta S. Congr. Rituum, etiam quando plures, ad normam rubricarum, Missae concurrant, ita ut omnes cantari debeant *(Decr. n. 552,* in *Faventina, n. 2427 ad VII,* in *Wilnen. 691, 282, 480, 2331, ad 11 etc.).* At si tanta haec obligatio, vix concipi potest, ut omnium in Lusitania Ecclesiarum mater Ecclesia Patriarchalis Lisbonensis ab ea eximatur.

Quod si obiiciatur, aliquando ex dispensatione fuisse concessum ut Missa conventualis legeretur, contendit advocatus nullam istic causam subesse ut dispensatio concedatur. — Allegant ministrorum defectum: at si intelligitur de numero eorum, qui choro inserviunt, ratio non subest. Hodie enim Capitulum Lisbonense constat viginti duobus canonicis, decem et septem beneficiariis, quatuordecim cappellanis cantoribus, viginti musicis. Quod si intelligitur de defectu cantorum, ratio non modo ex praedictis non adest, sed etiam futilis videtur. Nam decisum est a S. R. C., inhaerendo iuris praescripto, potius ab ipsis capitularibus cantorum defectui esse supplendum, quam Missa sine cantu legatur. — Allegant etiam consuetudinem: sed autumat advocatus, hanc consuetudinem nec esse immemorabilem, uti contendunt, quia in veteri Ecclesia Patriarchali omnes conventuales Missae cum cantu celebrabantur, et solum ab anno 1877, ex deliberatione capitulari Missae legi coeperunt: nec esse legitime constitutam, quamvis per absurdum immemorabilis esset, quia adversus rubricas et decreta S. Congr. Rituum, quae Missam conventualem semper cum cantu fieri iubent, nulla praescriptio vel consuetudo datur: " *Utrum consuetudines, quantumvis immemorabiles, rubricis missalis, breviarii, caeremonialis Episcoporum, ritualis romani, S. R. Congr. decretis in collectione Gardellini contentis aperte repugnantes, servari possint? — Expositas consuetudines removendas esse, utpote corruptelas: rubricas et decreta omnino servanda: et A. T. moneat dissidentes atque indociles etiam per ecclesiasticas poenas (Sac. Congr. Rit. 14 Iulii 1882, n. 2792, 2951 et passim)* ..

Obiiciunt etiam in statutis novae Patriarchalis disponi, ut, si plures quam duae Missae conventuales recurrant, tertia legatur. Sed, iuxta advocatum, haec statutorum dispositio nulla et irrita est. Nam, ad tramitem Concilii Romani an. 1725, nihil in statutis decerni potest sine Pontificis auctoritate, quod a iure communi et Congregationum Decretis exorbitet: et praesertim, quidquid sit contra rubricas, non modo non potest decerni, sed — est expressum in eodem Concilio — si consuetudine etiam immemorabili fuerit invectum, reprobatur.

Quoad hanc primam quaestionem, refert advocatus, Missam conventualem, quae ab anno 1877 in Patriarchali Ecclesia legebatur, ab anno 1900 iterum cantari, praecipiente quidam Eminentissimo Patriarcha per ordinationem (vulgo *circolare*).

Sed, praeter abusum, de quo in statutis, ut duae tantum Missae cantarentur, si plures concurrerent, factum est, ut nec secunda tantum cantaretur Missa, si duae concurrerent. Quod eo magis damnandum, iuxta advocatum, quia Capitulum dispensationem a S. H. C. petiit et non obtinuit die 29 Maii 1900.

Mox venit advocatus ad alterum quaestionis punctum, quod est de *ceroferariorum* ritu, et de *clavigero*. Et contendit ritum *clavigeri* esse ritum omnino insuetum in Ecclesia, idcirco reprobandum in Missis etiam solemnibus. Ritum vero ceroferariorum esse proprium Missae conventualis solemnis, idest cantatae cum sacris ministris proindeque reprobandum in Missa conventuali, vel simpliciter cantata, vel fortius lecta.

Et revera, ut probet hos ritus, ad formam capitularis libelli, non sustineri, expendit rationes, quibus illum Capitulum fulcire nititur, et ait eas nullius ponderis esse. Dicunt hos ritus requiri ad *maiorem solemnitatem:* sed solemnitatem et ritus cuiusque Missarum generis proprios, rubricae et decreta significant, a quibus, nec latum unguem recedi potest (Bulla S. Pii V " *Quo primum* „ missali praemissa). Atqui in rubricis, de *clavigero* numquam est mentio: de *ceroferariis* in Missa tantummodo solemni cum sacris ministris: ergo huic normae rigide inhaerendum est. — Dein addunt canonici, hos ritus approbandos esse *ad dubitationes extirpandas et ad scandala removenda.* Sed hisce dubiis, quum rubricae sint admodum clarae, iuxta advocatum, nullus locus esse potest; scandalum vero habetur im praesenti rerum statu, quod penitus auferretur si ad rubricarum plenam observantiam iterum Capitulum revertatur.

Allegant canonici consuetudinem *immemorabilem:* sed autumat advocatus, consuetudinem hanc, prouti aliam de Missa conventuali lecta, licet esset immemorabilis, esse spernendam, quippe contra rubricas et decreta. — Nec obiiciendum est, iuxta advocatum, exem-

plum Ecclesiarum parochialium urbis Lisbonensis et Regiae Cappellae, ubi eaedem caeremoniae, iuxta Capitulum, servantur. Nam advocatus, per testimonia in Summario relata confidit, se evidenter probasse Capituli assertionem veritati non respondere. Ceterum controversa consuetudo, ait orator, *immemorabilis* certe non est: nam Missa lecta, in quam quaestio praecipue cadit, cantatae loco, anno 1877 in Patriarchali Ecclesia haberi coepit.

Notat hic advocatus, in libello Magistri caeremoniarum mentionem fieri de alio peculiari ritu: quod scilicet Sacerdos ad altare accedat manibus iunctis, quin calicem per se deferat: calix enim antea disponitur super altare, itemque missale antea praeparatur et aperitur. Advocatus hunc duplicem ritum haud putat adsciscendum in Missa conventuali lecta: quippe qui, a rubricis et decretis Sac. Cong. Rituum non modo non permittitur, sed prohibetur *(Decr. 3059, dub. VII, 1681, dub. 5).*

Gradum facit advocatus ad tertium quaestionis caput, quod est de pelvi et urceolo ex argento confectis. De quo antea animadvertit, quaestionem potius instituendam esse de *forma* horum utensilium, quam de *materia,* ex qua constant. Rubricae iubent ut in Missis, tum lectis, tum solemnibus *ampullae pelviculae superpositae* adhibeantur " *ab eadem parte epistolae..... ponuntur* ampullae vitreae *vini et aquae cum pelvicula et manutergio (De missa lecta, tit. XX. de praep. alt. 1)* „. " *Celebrans... lavat manus ministrantibus acolythis* ampullam *aquae cum pelvicula et manutergio (De miss. sol. tit. VII. n. 10)* „. Capitulum non modo vitro argentum surrogat, sed ampullis *urceolum,* quamdam nempe lagenae speciem affabre elaboratae, italice *boccale:* et pelvi, lancem grandiorem, italice *bacile* vel *catino.* Quod cum, iuxta memoratas rubricas, nec in Missa lecta, nec solemni concedatur, sed permittatur tantummodo Episcopis, vel Praesulibus inferioribus ex privilegio Pontificalia exercentibus in solo actu Pontificalium, Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis concedi nullo pacto potest.

Nec adhaerendum censet advocatus apostolico caeremoniarum Magistro, qui hunc ritum *tolerari* posse autumavit: quippe rationes,

quibus innititur, nullae sunt, iuxta advocatum. Loquitur de privilegio Dignitatibus Lisbonensibus concesso Missam pontificalem celebrandi. Sed dictum est, Praelatos hoc utentes privilegio, in Missa tantum pontificali, de qua hic non est quaestio, urceolo et pelvi argenteis uti posse *(Decr. S. C. R. n. 1131, dub. 21)*. Nec redeundum ad consuetudinem, quam, ex antedictis, attendendam non esse advocatus contendit.

Nec denique in medium afferenda privilegia, si quae erant, antiquae Patriarchalis. Nam Pontifex novam erigendo, veterem, cum omnibus privilegiis, funditus suppressit: " *Funditus perpetuoque cum omnibus hucusque habitis et quomodocumque quaesitis vel adhibitis iuribus, privilegiis, praerogativis, honoribus* „.

Iamque venit advocatus ad quartum caput, de quo controversia instituta. De eo scilicet, quod spectat ad assistentiam Magistri caeremoniarum in Missa conventuali, atque autumat, hanc assistentiam in Missa conventuali lecta prorsus esse reiiciendam, Et plura, ut id probet, allegat S. Congr. Rituum decreta, hanc assistentiam, in Missa quacumque lecta, omnino excludentia: ea sane de ratione, quia ritus Missarum solemnium, prout est caeremoniarum Magistri assistentia, lectis aptari nequeunt, nec aptari queunt, quin rubricae pessumdentur, quibus stricte standum est. Quoad decreta ab advocato allegata, memorat patronus responsiones Episcopo Tudertino *(a. 1660, decr. n. 1148) et Senensibus* caeremoniarum Magistris datas *(a. 1686, n. 1771)*: et illud quod in collectione n. 2310 indicatur: " *An archidiaconus et canonici in Missis celebrandis tam intra quam extra cathedralem, uti valeant, ultra unum inservientem, qui Missae respondeat, magistro caeremoniarum? — Negative in omnibus (dub. 4)* „... Quoad rubricas, notat advocatus, eas non plures ministros sacros, non acolythos, non plures inferiores ministros (vel duos in Missa conventuali lecta Decr. n. 3059 ad 7), non caeremoniarum magistrum concedere, quum haec omnia Missae cantatae aut solemni conveniant, pro qua praescribuntur.

Porro, iuxta advocatum, nihil habent ponderis, quae vel Capitulum, vel apostolicus caeremoniarum magister a S. Rit. Congr. ex-

quisitus, opposuerunt. Memorat caeremoniarum Magister consultor, dignitatem sacerdotalem: sed, si haec esset perpendenda, omnibus Missam legentibus Sacerdotibus, caeremoniarum Magister assistere posset. — Idem consultor in medio ponit qualitatem Missae conventualis: sed huic cum *lecta* dicitur, privilegia non competunt, quippe horum usum rubricae et decreta vetant etiam Episcopis private celebrantibus.

Et denique de pluribus aliis disserit ritibus advocatus, de quibus, quum libellus exhibitus esset, ad hos abusos reprobandos rescriptum est: " *Habebitur ratio in die propositionis causae* „. Memorat enim iste libellus, praeter alia, canonicos extra cathedralem *mantelleta* uti: extra cathedralem et dioecesim insignia choralia induere: caligas, sandalia, chirothecas aureas in Pontificalibus assumere et mitram pretiosam: trinam benedictionem impartire, Missas pontificales *de requie* celebrare: Pontificaliter sacro fonte benedicere et sacramenta administrare. — Tum addit, dignitates faldam sibi asserere Eminentissimi Patriarchae propriam: et canonicos ad quintum circulum in Missa pontificali haud genuflectere ante Augustissimum Sacramentum, sed solam facere inclinationem.

Inter documenta adest etiam kalendarium ab H. S. C. exquisitum, et inde explicat ordinem Divini Officii advocatus per oppositas *allegationes* in *Summario* relatas, declarantes *signa* et *normas* eiusdem kalendarii.

Quare etc.

Die 14 Decembris 1901 E.mi rescripserunt: " *Servetur ius commune. Rubricae et Decreta S. Rituum Congnis.*

LISBONEN.

Summarium Quaestionum quae S. Congregationis Concilii iudicio subiectae fuerunt die 14 Decembris 1901.

I. *Utrum Missae conventuales, etsi duae vel tres occurrant, semper cantari debeant in Patriarchali Ecclesia Lisbonensi (Restr. facti et iuris §§ 4 ad 11 et 13)?* (1).

Et quatenus *negative:*

a) Utrum in Missis conventualibus lectis liceat interventus Clavigeri et Ceroferariorum *(Restr. §§ 15 ad 20)?*

b) Utrum in iisdem Missis conventualibus lectis liceat Calicem et Missale praedisponere super altare, atque illum, Missa nondum expleta, ab altari removere? *(Restr. § 23).*

c) Utrum in iisdem Missis conventualibus lectis permissus sit usus pelvis et urceoli ex argento, uti in episcopalibus *(Restr. §§ 24 ad 27)* (2).

d) Utrum iisdem intervenire possit Sacerdos, qua Caeremo-

(1) Singulis Summarii quaestionibus, S. C. Congregationis iudicio subiectis, hic opportunum iudicamus responsum apponere, d. d. 14 Decembris, et Constitutionibus Pontificiis vel Rubricis vel Decretis S. R. Congregationis munire: ut generale responsum " *Servetur ius commune, Rubricae et Decreta S. R. Congregationis* „, a S. C. Congregatione exhibitum omnibus singulisque propositis quaestionibus, particulare quodammodo evadat, quidque in praxi tenendum sit apprime innotescat. Itaque sit ad primam propositam quaestionem responsio: *Affirmative.* Constat ex Const. Benedicti XIV *Cum semper oblata:* ex auctoritate Quarti, *p. I, tit. 3, sect. 1, dub. 1;* Pasqualigo, *q. 882;* De Herdt, *Prax. Capit. Cap. XXVII,* § 5; Ferraris, Bibl. Can. ad voc. *Canonicus, art. V, n. 66 et seq.* Ex Decr. S. R. Congregationis, *n. 404 ad 3, 431 ad 2 et 3, 603, 970 ad 4, 2960 ad 4, 3597 ad 6, 3627 ad 2, 3722 ad 4, 2331 ad 11, 552, 2427 ad VII, 691, 292, 480, 925, 1819, etc*

a) Provisum in prima responsione negativa.

b) Provisum pariter ut supra.

(2) Item provisum ut supra.

niarum magister, vel qua Assistens, vel qua inserviens, loco inservientis? *(Restr. §§ 28 ad 32)* (1).

Et quatenus *Affirmative:*

a) Utrum in Missis conventualibus simpliciter cum cantu sine ministris permissus sit interventus Ceroferariorum, atque Clavigeri *(Restr. § 16)* (2).

b) Utrum in Missis conventualibus, vel cantatis vel solemnibus, licitus sit usus pelvis et urceoli ex argento? *(Restr. §§ 24 ad 27)* (3).

II. *Utrum tolerari debeant privilegia, quae sibi arrogat Capitulum Patriarchale in usu Insignium, in exercitio Pontificalium, in servitio chori et altaris, et in specie:*

a) Usus Mantelleti: usus Insignium choralium *singulariter*, non *capitulariter*, extra Ecclesiam et Dioecesim *(Restr. § 44, Ephem. Lit. an. 1901, n. 1, dub. VI, pag. 40)* (4).

b) Usus caligarum, sandaliorum, et chirothecarum ex auro et argento ornatorum, mitrae pretiosae et ex damasceno: gremialis, palmatoriae: ritus praegustationis panis et vini: assistentia Beneficiati pluviale induti: *Pax vobis* pro *Dominus vobiscum*, et trina

(1) Item provisum ut supra.

(2) *Negative ad utrumque.* Constat ex Conc. Trid. *Sess. XXII, De observ. in celebr. Missarum;* ex Const. Pii Pp. V *Quo primum* Missali praemissa, et ex Rubricis, quae de ritibus praefatis altum silentium servant in casu, dum Ceroferarios exigunt in solemni, atque implicite utrumque ritum in simpliciter cantata respuunt.

(3) *Negative.* Constat ex Rubricis Missalis *Tit. XX* De praep. altaris, *tit. VII, n. 10*: ex Decretis, *n. 2340 ad 4, 1131 ad 21, 2624 ad 11 in fine.*

(4) *Negative in omnibus.* Constat ex Bulla *Quamvis aequo* et ex Brevi *Iam inde ab anno*, Lisbonensium Canonicorum privilegia moderantibus; ex Decr. Executoris ipsius Brevis *Iam inde ab anno*, quod et de mantelleto penitus silet, et alia Insignia concedit Canonicis dum capitulariter incedunt *tantum*. Item ex Decretis S. R. Congr. *2579, 2578 ad 2 ex tribus dubiis additionalibus, 3104 ad 12, 3784 ad 3.*

benedictio in Missis, Vesperis et Laudibus, pontificaliter celebratis *(Restr. loc. cit., Ephem. Lit. n. 1, pag. 31)* (1).

c) Celebratio Pontificalium extra Ecclesiam patriarchalem, sine assistentia Capituli, et celebratio Pontificalium pro defunctis *(Restr. loc. cit. Ephem. Lit. n. 1, pag. 36 et 39)* (2).

d) Usus faldae, Patriarchae propriae, pro Dignitatibus Capituli *(Restr. loc. cit., Ephem. Lit. num. 1, pag. 37)* (3).

e) Usus ornamentorum pontificalium et faldae in processionibus, etiam extra Ecclesiam, in benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis, in administratione Baptismi, et in aliis functionibus Ecclesiasticis *(Restr. loc. cit., Ephem. Lit. n. 1, pag. 38)* (4).

f) Sacrorum Oleorum benedictio, ab Archiepiscopo Auxiliari, Vicario Gen. peracta in Missa privata, in sacrario, cum imminuto Diaconorum et Subdiaconorum numero, et absque assistentia Canonicorum *(Ephem. Lit. n. 1, pag. 42 et 51)* (5).

g) Delatio caligarum et sandaliorum ad Patriarcham, in Missa pontificali, per Beneficiatum cruciferum, loco Canonici subdiaconi ministrantis, qui nec assistat dum familiaris sandalia induit Pontificantem *(Restr. loc. cit., Ephem. loc. cit. pag. 44)* (6).

(1) *Negative in omnibus.* Constat ex Brevi Pii Pp. IX, 1855, quod Insignium privilegia tribuens Dignitatibus Lisbonensibus, eadem limitat, iubetque ut *servanda serventur;* ex Decr. S. R. Congr. *2418 ad 1, 5, 8; 1131 ad 8;* ex auctoritate, Bauldry, Catalani, De Herdt, in sua Prax. pontif. *tom. I, n. 51, lit. a;* ex Decr. " Roman. Pontificum „ *n. 2624 ad 4, 8 et 16; 2418 ad 1, 4, 5, 6, 7 et 8; 1728 ad 3 et 10; 3765 ad 1, 2 et 3.*

(2) *Negative ad utrumque.* Constat ex Decr. S. R. Congr. *2418 ad 11; 1131 ad 5; 1728 ad 2; 2624 ad 12 et 13.*

(3) *Negative,* ex Decr. *2624 ad 4, 5 et 8.*

(4) *Negative in omnibus.* Constat ex Decr. *2624 ad 8,* quod ornamenta in casu adhibenda decernit, et non alia, iuxta *num. 5.* Item ex Decr. *2060, 1131 ad 17; 1163 ad 17.*

(5) *Negative in omnibus.* Constat ex Decr. *3359 et 244;* ex Rubrica Pontificalis, quae vult et supponit Missam pontificalem et non privatam: ex Decr. *3044 ad 2; 210 ad 1; 159, 1225, 1896, 3984, 236.*

(6) *Negative.* Constat ex Caeremoniali Episc. *lib. II, cap. VIII, n. 7;* ex Decr. *4015 ad 2, et 9 ad 14; 3228 ad 3.*

h) Usus annuli cum gemma in Missa privata et solemni *(Restr. loc. cit.; Ephem. Lit. loc. cit. pag. 44)* (1).

i) Loci in choro assignatio pro Archiepiscopo Vicario Gen. et Episcopis aliis praesentibus a cornu Epistolae *(Restr. loc. citat.; Ephem. Lit. loc. citat. pag. 46)* (2).

k) Accessus laicorum virorum et mulierum in presbyterio, imo in chori subselliis, tempore sacrarum functionum *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 47)* (3).

l) Celebratio Missae de Aurora, in Natali Domini, hora decima diei, sine cantu, vel cantata ad horam secundam post mediam noctem *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 48)* (4).

m) Organi sonitus in feriis IV, V et VI maioris hebdomadae *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 50)* (5).

n) Vesperarum in choro recitatio dimidia hora post meridiem, et in solemnitatibus anticipatio Matutini et Laudum ad horas pomeridianas praecedentis diei *(Restr. pag. 47, § 44)* (6).

o) Inclinatio, genuflexionis loco, in ultimo circulo Missae Pontificalis, extante Sacramento super altari *(Restr. loc. cit.; Ephem. loc. cit. pag. 51)* (7).

(1) *Negative.* Constat ex Decretis *483, 536, 2907 ad 5; 2079 ad 7, 3218, 3580, 3820,* ut ex aliis *2583 ad 6, 2805* etc.

(2) *Negative,* Constat ex auctoritate De Herdt, Prax. Pontif. *tom. I n. 111,* a); ex Decretis *2447 ad 1, 1886 ad 1, 442 ad 1, 444, 790, 1046, 1109, 2064, 3214;* item ex Caerem. Episc. *Lib. I, cap. 13, num. 9.*

(3) *Negative.* Constat ex Caerem. Episc. *lib. I, cap. 11. n. 12, et cap. 13, n. 13;* ex Decretis *157, 1258 ad 2, 3388 ad, 4, 275, 1288, 1792, 1838 ad 1, 1849 2462, 175, 802, 1593, 3549, etc..*

(4) *Negative.* Constat ex Rubrica Missalis *tit. 15, n. 4;* item ex Decretis *2631 ad 1, et 2778* inter se conferendis.

(5) *Negative.* Constat et Caerem. Episc. *lib I, cap. 28, n. 2;* ex Decretis *3804 ad 2, et 4044 ad 1.*

(6) *Negative.* Constat ex Instit. 24 Bened. XIV, ex omnium Moralistarum auctoritate, item et Decretis S. C. R. *2604, 2834 ad 1, 64, 67, 71, 3340,* et ex Bened. XIV de Synodo dioec. *Lib. 13, cap. 9, n. 13.*

(7) *Negative.* Constat ex Caerem. Episc, *Lib. I, cap. 21. n. 3;* et ex praxi omnium Ecclesiarum. —

p) Omissio Missae de requie, prima die mensis non impedita, psalmorum poenitentialium et gradualium, et officii parvi Beatae Mariae V. *(Restr. loc. cit.; Ephem. Lit. loc. cit. pag. 52)* (1).

q) Usus formalii *(Restr. loc. cit.; Ephem. Lit. loc. cit. pag. 52)* (2).

r) Usus Rocheti cum mozzetta dum assistunt privatae Ordinarii Missae *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 50)* (3).

s) Thurificatio, unico ductu, ad Beneficiatos sacris vestibus et pluviali indutos *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 51)* (4).

t) Expositio solemnis SS.mi Sacramenti in Ostensorio ad ostiolum Tabernaculi *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 51)* (5).

u) Processio in ipso presbyterio post cantum Tertiae, occasione qua Ordinarius Pontificalia peragit *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 53)* (6).

v) Usus talaris violaceae in Caeremoniarum magistris, cum functiones dirigunt ad Capitulum non pertinentes et extra Cathedralem (7).

x) Recusatio assistendi Archiepiscopo Auxiliari Vicario Generali in functionibus episcopalem Ordinem requirentibus, et pro E.mo Patriarcha celebrandis *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 51)* (8).

y) An generatim Decretum *Romanorum Pontificum, n. 2624*, applicari omnibus in suis partibus debeat Canonicis Patriarchalis.

(1) *Negative* Constat ex Bulla S. Pii V *Quoad a nobis*, Breviario praemissa, ex Rubricis gener. Missalis tit. V, n. 1, uti et ex pluribus Decretis S. R. Congregationis, *1154, 2657, 3129, 2928, 3856 ad 1, etc*

(2) *Negative*. Constat ex Caerem. Episc. *Lib. I, cap. 7, n. 1;* item ex Decr. S. R. Congregationis *2425 ad 9.*

(3) *Negative*. Constat ex Decr. S. R. Congr. *3804 ad 1.*

(4) *Negative*. Constat ex Decr. S. R. Congregationis *3280, 2049 ad 20.*

(5) *Negative*. Constat ex consuetudine omnium Ecclesiarum, et ex Caeremoniali Episc. *lib. II, cap. 33, n. 24, 27 et 33.* Conf. De Herdt, Prax. Pontif. *loc. cit.*

(6) *Negative*. Constat. ex Decr. *3228 ad 1.*

(7) *Negative*. Constat ex Decreto *2310 ad 3, et 2621 ad 12;* item ex S. R. C. responso ad 2 ex dubiis propositis quoad habitum choralem Magistri Caeremoniarum d. d. 3 Apr. 1900 pro Dioec. Vicen.

(8) *Negative*. Constat ex Decr. *3984 ad 1 et 2, 159, 236;* item ex recto sensu, cum Archiepiscopus enim E.mi Patriarchae vices gerit.

Lisbonensis, quod attinet usum Pontificalium, usu tantum faldistorii excepto, ex Brevi Pii Pp. IX *Exinde ab anno* (1855) illis permisso *(Ephem. Lit. loc. cit. pag. 30)* (1).

III. *Utrum statutis Capitularibus standum sit, etiam circa eas partes, quae sunt contra ius commune (Restr. facti et iuris § 12)* (2).

IV. *An confirmari, an revocari debeat Decretum E.mi Patriarchae, datum die 5 Februarii 1898 (Restr. §§ 33 et 36)* (3).

(1) *Affirmative.* Constat ex ipso Decreto Gen. *Romanorum Pontificum, n. 2624, cit.*, quo Pius Pp. VII voluit *opportune praefinire quidnam iuris inducant Missae et Pontificalium usus, aliaque id genus Insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi... quaedam Canonicorum Collegia cohonestare.*

(2) *Negative.* Constat ex responso S. C. Concilii d. d. 14 Decembris 1901: " *Serventur ius commune, Rubricae et Decreta S. R. Cong.nis*„; adeo ut quod in statutis Capitularibus contra ius commune reperitur, *nullum sit et irritum*, neque ad illud exequendum Chorales ullo pacto adstringi possint, etsi ipsi statuta *iureiurando* servare promiserint (*Decretal. Lib. II, tit. XI, cap I. in Sexto).*

(3) *Negative ad I. Affirmative ad II.* Constat ex eodem responso S. C. Concili, quo *edicitur servandas Rubricas et S. R. C. Decreta.* Atqui Decreta S. R. Congregationis exigunt, ut neque Canonici, neque Ordinarii dubia circa servitium chori seu liturgica, *resolvant*, contra id quod Decretum E.mi Patriarchae statuit, sed ad eandem S. Congr. *recurrendum (Decr. 2621 ad 1, 179 ad 1, et 2425 ad 14);* ergo. 2. Decreta item exigunt, ut Caeremoniarum Magistris chorales omnes obediant in actu functionum *(Decr. 2578 ad 10, 3611 ad 7)*, contra id quod E.mus Patriarcha in praedicto Decreto decernit, ut nempe Caeremoniarum Magistri Choralibus dignioribus subiiciantur; ergo. 3. Rubrica item Caeremonialis Episcoporum exigit, ut Capitulares omnes Caeremoniariis in his quae spectant divinum cultum sine contradictione obediant *(Lib I, cap. V, n. 5)*, contra id quod Decretum dictum E.mi Patriarchae praescribit; ergo.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

PROPRIETAS LITERARIA.

Roma. 1902. - E schola typographica vulgo " Tata Giovanni „ *Piazza del Biscione, 95.*